AN SIT PLATONIS DEUS CREATOR.

AN SIT

PLATONIS DEUS

CREATOR.

.... Hæc igitur et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin his præsit aliquis vel effector, si hæc nata sunt, ut Platoni videtur, vel, si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris?

Cicero, *Tusculan. disput.* I, 28.


DISSERTATIO ACADEMICA.

PARISIIS,

TYPIS, MOQUET ET SOCIORUM,

IN VIA DICTA DE LA HARPE, 90.

MDCCCXLI.


HARVARD COLLEGE
AUG 30 1922
LIBRARY

V. CL.

DESID. NISARD,

MAGISTRO EIDEM ET AMICO,

PIE DEDIC.

TYPIS MOQUET ET SOC.,
Via vulgo dicta La Harpe, 90.

AN SIT PLATONIS DEUS CREATOR.

Est vulgata plerumque et multorum animis infixa opinio, veteres philosophos omnes, nisi Neoplatonicos excipias, in hoc fere consensisse, ut materiam esse æternam, et mundum hinc a Deo formatum esse, in doctrinis suis profiterentur; ergo, vel a prudentissimis et sapientissimis illorum, non rerum creatorem Deum, sed artificem tantummodo et gubernatorem habitum fuisse. Ita veterum omnium philosophorum de Deo doctrinam imperfectam fuisse et quasi mancam creditur: quosdam tamen illorum de divina vi et natura egregia multa et præclara disseruisse; Platonem autem illum inprimis, supremi numinis aptam et magnificam imaginem sibi finxisse, ac, nisi suum illum Deum hac creandi potestate spoliaverit, aut frustrà adornaverit, christianorum Deo persimilem fecisse.

Plato in theologia multo cæteris anteisse haud semel dictus est, et meritis propter hoc laudibus celebratus; ipsi quoque Aristoteli in hac philosophiæ parte, tum ratione ac methodo longe dissimilis, tum doctrinæ altitudine ac dignitate superior a pluribus inventus est. Attamen in uno cum illo sensisse et errasse vulgo existimatur, scilicet quum pariter opinatus est mundum e materia, quam rerum natura suppeditat, a Deo fictum et fabricatum fuisse. Quæ quidem opinio, an vere

apud Aristotelem sit, nullo modo ambigi potest. Platonem verò huic sententiæ accessisse, et quasi in erroris consortium venisse, non sic manifesta demonstratione confirmatum est, ut hic jam nullus sit inquirendi ac disceptandi locus. Quod si magnus numerus peritissimorum atque eruditissimorum virorum Deum Platonis creandi potestate carere affirmaverit (1), contrariam opinionem tuentur nonnulli, quorum auctoritas haud parva sane ac nequaquam contemnenda sit (2).

Hic igitur occurrit gravis quæstio, et quam perspicere profecto operæ pretium sit. Jam de illa semel atque iterum inter

(1) Inter illos qui, juxta Platonis mentem, a Deo fuisse mundum conflatum ex quadam, quæ antea erat, materia affirmant, laudandi præsertim :

Proclus, Comment. in Timæum.
Chalcidius, Comment. in Timæum.
Gassendus, Physices, sect. I, lib. 1.
Thomasius, Schediasmate philosophico.
Th. Burnetus, Archæolog. philosoph. I et II.
Moshemius, de Creatione ex nihilo.
Olivetus, Annotatio ad tertium lib. de Nat. Deorum.
Bruckerus, Historia critica philosophiæ.
Tennemannus, Historia philos. et Manuale.

(2) Quos inter potissimum memorandi :
Porphyrius, apud Proclum, Comment. in Timæum.
Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. V.
Hierocles, apud Photium.
Marsilius Ficinus, in Indice Platonis operibus subjecto.
Bessario, In calumniat. Platonis, II.
Hugo Grotius, Not. ad lib. de Verit. relig. Christ. I.
P. Dan. Huetius, Questiones de concordia rationis et fidei, II.
Andr. Dacierus, in vita Platonis.
Livius Gaiantes, Compar. Christ. Theologiæ cum Platonica, IX.
Jo. Alb. Fabricius, Biblioth. Græc. II, 12.
Radulph. Cudworthus, Systema intellectuale, V.
Ritterus, Histor. philosophiæ, lib. VIII.

criticos certatum est; sed ita certatum, ut lis adhùc sit sub judice: nullum enim ad certum finem perducta est disceptatio. Homines magnæ ac spectatæ prudentiæ rem denuo agitandam ac novo examine perpendendam esse censuerunt (1). Illud quidem munus suscepimus, et vires nostras, qualescumque forent, in eo impense exercuimus. Etenim diutina ac diligenti Platonis librorum investigatione certiores paulatim facti sumus minime eos sententia inexpugnabiles esse, qui, apud Platonem hinc materiam esse æternam, inde opificis et ordinatoris tantummodo partes agentem Deum contendunt; agnovimus autem validissimis ac certissimis argumentis fulciri posse contrariam opinionem existimantium apud Platonem creandi vim Deo inesse, et materiam non per se esse declarantium. Quæ quidem argumenta, quantum in nobis est, aperte et plane explicabimus. Hæc pleraque ex ipso Platone desumpsimus; nonnulla quoque hausimus ex his scriptis, ubi Aristoteles quædam magistri sui minus cognita more historic refert, et hæc dogmata aperit, quæ Plato, non in dialogis exponebat, sed in illis secretis sermonibus græco nomine dictis, ἄγραφαι συνουσίαι.

I.

Hoc primum eam quæstionem tractare aggredientis animum subit, nempe in Timæo, qui de origine mundi dialogus habe-

(1) Hic mihi J.-V. le Clerc nominatim testari liceat, qui, in annotationibus ad libros de Natura deorum et Timæi versionem ciceronianam, litem nondum disceptatam sibi videri profitetur, et ait rem rursus esse explorandam.

tur, ita disseri, ut creatorem fuisse Platonis Deum minime appareat; contra, eam esse illius libri doctrinam, ut ex illo præcipuum trahant argumentum qui apud Platonem æternam esse materiam asserunt, illo sententiam suam, quasi munimine invicto, firment ac protegant (1).

Hoc autem in primis animadvertere æquum est, in tali quæstionum genere, non Timæum quasi testem gravissimum ac minime recusandum invocari posse, neque in eo quæri oportere genuinam de primis rerum principiis Platonis sententiam. Procul dubio, multo major de his rebus fides adhibenda est dialogis, qui dialectici dicuntur, et iis quæ ab Aristotele, ex sermonibus ἄγραφα δόγματα dictis, revelantur. Satis enim compertum est physicas investigationes Platonem non magni fecisse, et illas in opinione versari existimasse, a veritate haud parum remotas. Hoc ex plurimis locis evinci posset, sed nusquam manifestius apparet quam in Philebo: Ἆρ' οὖν ἐννοήσας... ὡς αἱ πολλαὶ τέχναι καὶ ὅσαι περὶ ταῦτα πεπόνηνται, πρῶτον μὲν δόξαις χρῶνται, καὶ τὰ περὶ δόξας ζητοῦσι ξυντεταγμένως; εἴτε καὶ περὶ φύσεως ἡγεῖταί τις ζητεῖν, οἶσθ' ὅτι τὰ περὶ τὸν κόσμον τόνδε ὅπη γέγονε, καὶ ὅπη πάσχει τι καὶ ὅπη ποιεῖ...... Οὐδ' ἄρα νοῦς, οὐδέ τις ἐπιστήμη περὶ αὐτὰ ἐστι τὸ ἀλεθέστατον ἔχουσα. *Phileb.* pag. 401, b. d. *Edit. Francf.* Cùm igitur, secundum ipsum Platonem, qui, more physicorum, quomodo mundus factus sit investigant, non ad illud quod verum merito dici potest,

(1) Ita Moshemius, *de Creatione ex nihilo:* Qui Deum, Platone judice, mundum ex illis quæ non erant, fabricatum esse opinantur, nihil usquam reperiunt quo se tegant, nec ante perficient aliquid, quam ipsum Timæum aut sustulerint, aut Platonis opus esse negaverint. » Nos autem sententiam nostram approbare conabimur, neque Timæum sustollentes, neque Platonis opus esse negantes.

attingant, nonne confitendum est nullam spectantem ad prima principia quæstionem Timæo dirimi ac plane decidi posse? Nec in ipso Timæo, ubi physici personam induit, aliter sensit de physicorum studiis philosophus noster: hic enim haud semel fatetur nil certi tales investigationes habere, et omnem ejusmodi contemplationem ludum nuncupare non dubitat· ὅταν τις, ἀναπαύσεως ἕνεκα τοὺς περὶ τῶν ὄντων ἀεὶ καταθέμενος λόγους, τοὺς γενέσεως πέρι διαθεώμενος εἰκότας, ἀμεταμέλητον ἡδονὴν κτᾶται, μέτριον ἂν ἐν τῷ βίῳ παιδιὰν καὶ φρόνιμον ποιοῖτο. *Timæ.* 1066. c. Igitur in hoc libro ea quæ Platoni verisimilia (1), non quæ vera visa sunt, invenias. Sed hæc verisimilia non contra eos pugnare qui Deum Platonis creatorem existimant, jam nobis demonstrandum.

Quæ tria genera rerum accipienda sunt, hæc ita in Timeo summatim describuntur: ἐν δ' οὖν τῷ παρόντι χρὴ γένη διανοηθῆναι τριττά· τὸ μὲν γιγνόμενον, τὸ δ' ἐν ᾧ γίγνεται, τὸ δ' ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον· καὶ δὴ καὶ προσεικάσαι πρέπει, τὸ μὲν δεχόμενον, μητρὶ, τὸ δ' ὅθεν, πατρὶ, τὴν δε μεταξὺ τούτων φύσιν, ἐγκόνῳ· 1060. b. Secundum genus, τὸ δ' ἐν ᾧ, illa est, quæ vulgo fertur, Platonica materia. Sed hujus naturam et rationem non satis diligenter perspexisse eos arbitramur, qui eam aristotelicæ materiæ similem faciunt, asseruntque hanc μητέρα omni mundo visibili quasi gravidam et fœtam fuisse, et ex illius gremio cuncta Deum eduxisse (2). Hanc autem nihil aliud

(1) Plato in Timæo dictitat, ea quæ disserit tantummodo verisimilia esse, atque sic habenda: περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν. 1047 d. Cf. 1047. c, 1056. b, 1059. a, 1062. c. 1066. c, 1075. b.

(2) Chalcidius eorum sibi placere sententiam profitetur qui statuant. « Juxta Platonis mentem, fuisse semper tam animæ quam corporis

esse quam vacuum et infinitum spatium, neque corpora ullo modo gignere, sed tantummodo recipere, nulla interposita mora ostendemus.

Per verba τὸ δ' ἐν ᾧ spatium infinitum significari, jam ex ipso hic apposito Timæi loco suspicari liceat; sed res, progrediente sermone, in clariori luce ponitur, cum τῷ δ' ὅθεν et τῷ γιγνομένῳ accuratius definitis, sic pergit Timæus : τρίτον δὲ αὖ γένος ὂν τὸ τῆς χώρας ἀεὶ φθορὰν οὐ προσδεχόμενον, ἕδραν δὲ παρέχον ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν... *Timæ.* 1061. c.; et paulo infrà, ubi tota de tribus rerum generibus ratio concluditur : οὗτος μὲν δὴ οὖν παρὰ τῆς ἐμῆς ψήφου λογισθεὶς, ἐν κεφαλαίῳ δεδόσθω λόγος, ὄν τε καὶ χώραν καὶ γένεσιν εἶναι, τρία τριχῆ, καὶ πρὶν οὐρανὸν γένεσθαι. 1061. d. Per talia satis patet hanc, quam prædicant, materiam proprie locum esse. Neu vero quis reputet vim peculiarem voci χώρα in platonica lingua inesse, nihilo magis in dialogis χώρα quam τόπος significat. Ita in Sophista, ubi non entis tenebræ entis splendori opponuntur, legere queas : Ὁ μέν... διὰ τὸ σκοτεινὸν τοῦ τόπου κατανοῆσαι χαλεπός... ὁ δέ γε φιλόσοφος... διὰ τὸ λαμπρὸν αὖ τῆς χώρας, οὐδαμῶς εὐπετὴς ὀφθῆναι. *Soph.* 177. e. Parte alia auxiliatur nobis Aristoteles, cum in ea disputatione, ubi Platonicæ cosmologiæ principia excutit, unum atque idem esse χώραν et τόπον pronuntiat (1), nec ullum fuisse apud Platonem inter utrumque discrimen : ὅμως τὸν τόπον καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτὸ ἀπεφήνατο (ὁ Πλάτων). *Phys.* IV, 4, p. 353.

vim, nec Deum ex his quæ non erant, fecisse mundum, sed ea quæ erant sine ordine et modo, ordinasse. Itaque potius ea quæ existebant exornasse, quam generasse ea quæ non erant. » *Comm. in Timæ.* cap. 2, § 31. Cf. Moshemium, Tennemannum, et alios quos supra memoravimus.

(1) *Phys.* IV, 2, 4, p. 352, 353. *Edit. Duval.*

Imo magistro suo plaudit et gratulatur, quod primus locum recte ac perspicue definierit, cum eum dixerit pro receptaculo rerum habendum esse. Λέγουσι μὲν γὰρ ἅπαντες εἶναι τι τὸν τόπον. τί δ' ἐστιν, οὗτος μόνος ἐπεχείρησεν εἰπεῖν. *Phys. ibid.* Subinde monstrat Aristoteles illud receptaculum nullo modo materiam rerum sensibilium esse posse: materia enim non sejungitur a re, locus autem sejungi potest; materia non continet rem, quæ continetur a loco. Ἡ ὕλη οὐ χωρίζεται τοῦ πράγματος· τὸν δὲ τόπον ἐνδέχεται... ᾗ δὲ περιέχει, ταύτῃ ἕτερος τῆς ὕλης (ὁ τόπος). *Phys. Ibid.* Denique locus substantialiter existens, vel substantiam aliquam ex sese generans, intelligi non potest; locus indefinitus nil aliud est, nisi vacuum. Quod quidem optime perspexit Aristoteles, quodque non semel enuntiavit. Γελοῖον... Τὸ κενὸν ἄλλό τι οἴεσθαι λέγειν, πλὴν χώραν σώματος. *De gener. et corr.* I, 8. p. 511. Cf. *Phys.* IV, 2; *de Cælo*, III, 2, *sub fine*.

Tertium igitur platonicum genus vel principium, si modo cum χώρᾳ confundatur, ne brevi in indefinitum vacuum evadat haud facile quis impediat. Neque isti conclusioni Plato repugnare nobis videtur, utpote qui ex illo receptaculo nihil educat, et nihil aliud in eo quærat, nisi sedem variis rerum sensibilium elementis.

Spatium abstractum neque ullum ens, vel quacumque voce nomines elementum corporale, in se recelare, neque ex se fundere, vel propria vi, vel externa causa movente, potest. Hoc et ratio subjicit, et testatur Aristoteles, qui dum Platonis doctrinam impugnat adversarius, ait quatuor causarum nullam in loco inesse, et materiam inprimis in eo reponi non posse, quia nihil ex eo constat vel oritur. Ἔτι δὲ, καὶ τίνος ἄν τις θείη τοῖς οὖσιν αἴτιον εἶναι τόν τόπον; οὐδεμία γὰρ αἰτία ὑπάρχει αὐτῷ

τῶν τεττάρων· οὔτε γὰρ ὡς ὕλη τῶν ὄντων· οὐδὲν γὰρ ἐξ αὐτοῦ συνέστηκεν. *Phys.* IV, 3, p. 352. Sed quid aliena testimonia requirimus? nusquam Plato ex illa indefinita χώρᾳ vel corpus, vel corporis rudimenta, et quæ vocat semina (1), expromere in animo habuit. Sed ex alio principio γένεσιν elementorum trahit, et nullum generationis vel eductionis vinculum esse inter rerum semina et receptaculum apertissimis verbis declarat. Διὸ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ παντὸς αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν, μήτε γῆν, μήτε ἀέρα, μήτε πῦρ, μήτε ὕδωρ λέγωμεν, μήτε ὅσα ἐκ τούτων, μήτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν. *Timæ.* 1060. d. Quo loco hic apposito, alia rursus testimonia vel argumenta proferre supervacaneum sit, ut omnibus liqueat nihil ex celebrata Timæi materia oriri posse, neque illam inter principia, unde res constant, annumerandam esse. Quum Plato expressis verbis dixerit, μήτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν, et initia terræ, aeris, ignis et aquæ in receptaculo inveniri non posse censuerit, præcipuum fundamentum vulgari de platonica materia sententiæ subtrahitur, ita ut ad creationem proprie sumptam jam recurrere critici cogantur. Non igitur injuria queritur Aristoteles quod Platoni nullius ad creandas res hoc receptaculum usus sit: οὐδὲ χρῆται οὐδενὶ, φήσας εἶναι ὑποκείμενον τοῖς καλουμένοις στοιχείοις πρότερον... *De gen. et et corr.* II, I, pag. 514. Videlicet non sine causa Timæi doctrinæ opponit propriam suam doctrinam in qua elementa ex materia gignuntur: ἡμεῖς δὲ φαμὲν ὕλην τινὰ τῶν σωμάτων τῶν αἰσθητῶν· ἀλλὰ ταύτην οὐ χωριστὴν, ἀλλ' ἀεὶ μετ' ἐναντιώσεως, ἐξ ἧς γίνεται τὰ καλούμενα στοιχεῖα. *De gen. et corr. Ibid.*

(1) Τὸ μὲν τῆς πυραμίδος στερεὸν γεγονὸς εἶδος, πυρὸς στοιχεῖον καὶ σπέρμα. *Timæ* 1064. b.

Erraret tamen si quis putaret Timæi χώραν nullius admodum usus esse, et frustra atque incassum in cosmologia fuisse admissam. Nempe, quod ab ea petitur munus, illo aptissime defungitur. Hoc genus *vix opinabile, adulterina quadam ratione* (1) introducit Plato, quia necesse admodum illi videtur, quidquid est generatum, in loco aliquo positum esse. Quod si nullam sedem γένεσις reperiat, essentiæ nequaquam fieri particeps queat. Hanc vero sedem in regione intelligibili (2) habere sensibilia impossibile est; nam si γένεσις in ente gigneretur, unum simul et duo fierent, qnod nullo modo concìpi queat ac prope dictu nefas est. Πρὸς ὃ δὲ καὶ ὀνειροπολοῦμεν βλέποντες, καὶ φαμὲν ἀναγκαῖον εἶναί που τὸ ὂν ἅπαν, ἔν τινι τόπῳ, καὶ κατέχον χώραν τινά.. ... ὡς εἰκόνι μέν· ἐπείπερ οὐδ' αὐτὸ τοῦτο ἐφ' ᾧ γέγονεν, ἑαυτῆς ἐστιν, ἑτέρου δέ τινος ἀεὶ φέρεται φάντασμα. Διὰ ταῦτα ἐν ἑτέρῳ προσήκει τινὶ γίγνεσθαι οὐσίας ἁμωσγέπως ἀντεχομένην, ἢ μηδὲν τὸ παράπαν αὐτὴν εἶναι. Τῷ δὲ ὄντως ὄντι βοηθὸς ὁ δι' ἀκριβείας ἀληθὴς λόγος· ὡς ἕως ἄν τι, τὸ μὲν ἄλλο ᾖ, τὸ δὲ, ἄλλο, οὐδέτερον ἐν οὐδετέρῳ ποτὲ γεγενημένον, ἓν ἅμα ταυτὸν καὶ δύο γεννήσεσθον. *Timæ*. 1061. c. d. Detur ergo in rerum natura indefinitus locus omnium capax, et omnibus quæ gignuntur futura sedes, necesse est. Quapropter proprium est hujus nomen πανδεχές... ἀόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον πανδεχές... ἕδραν δὲ παρέχον ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν. *Timæ*. 1060. e. 1061. c.

Hæc sedes, cuilibet fictioni subjecta, omni formarum varietate distinguitur, sed formarum extrinsecus venientium, et quæ in eam ingrediuntur. Δέχεταί τε γὰρ ἀεὶ τὰ πάντα, καὶ μορφὴν

(1) Λογισμῷ τινι νόθῳ μόγις πιστόν. *Timæ*. 1061. c.
(2) Τόπος νοητός. *De Rep*. VI, passim.

οὐδεμίαν ποτὲ οὐδενὶ τῶν εἰσιόντων ὁμοίαν εἴληφεν οὐδαμῇ οὐδαμῶς· ἐκμαγεῖον γὰρ φύσει παντὶ κεῖται, κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον ὑπὸ τῶν εἰσιόντων... τῶν ἐπεισιόντων... *Timæ* 1060. b. c. Omnes corporum species suscipit, ipsa plane formarum vacua, quas aliunde receptura est : ἄμορφον ὂν ἐκείνων ἁπασῶν τῶν ἰδεῶν, ὅσας μέλλει δέχεσθαι ποθέν. *Timæ* 1060. c.

Nunc abunde demonstratum putamus illud Timæi receptaculum non esse materiam, qualem Ionici vel Peripatetici intelligunt; nihil ex illo gigni, et ideo nos cum Aristotele negare posse istud πανδεχὲς pro rerum principio esse ducendum.

Hic quidem indefinitus locus in Timæo habetur æternus (1); sed istam æternitatem inter et materiæ quæ vulgo fertur æternitatem quantum intersit, quis est qui non intelligat ? Quum spatium vacuum nullum semen in se contineat, nihil ex se expromat, fatendum prorsus quæcumque illi attribuantur, non ideo de mundo sensibili, vel mundi elementis et principio materiali prædicari. Hic quidem illud animum subit, nempe an hoc genus, quod in idearum doctrina materiæ partes gerit, æternum, e mente Platonis, fuerit. Hanc quæstionem, quæ difficilis admodum et anxia est, ulterius ac tempestivius paucis tractabimus.

Nunc, antequam longius procedamus, nobis protinus excutienda et evertenda sunt quædam alia argumenta, quæ adversus eam, quam tutamur, opinionem e cæteris Timæi partibus desumpta sunt, et unde arma sibi in nos adversarii nostri sane facerent.

In primis objicitur pervulgatus ille locus : ὁ θεὸς... πᾶν ὅσον

(1) Τρίτον δὲ αὖ γένος ὂν τὸ τῆς χώρας ἀεὶ φθορὰν οὐ προσδεχόμενον. 1061. c.

ἦν ὁρατὸν, παραλαϐὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον. *Timæ*, 1047. f. Illud temere agitatum et incomposito motu fluitans multis visum est nihil aliud esse quam æterna et per se existens materia. Sed cum illa interpretatione parum congruunt in reliquo sermone multa philosophi decreta. Hæc indigesta vagansque moles sub oculos cadit, quoniam dicitur πᾶν ὅσον ἦν ὁρατόν : quidquid autem sub oculos cadit, generatum est, ac necessario ortum habet: ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τέ εστι, καὶ σῶμα ἔχων. πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητά· τὰ δὲ αἰσθητὰ, δόξῃ περιληπτὰ μετὰ αἰσθήσεως, γιγνόμενα καὶ γενητὰ ἐφάνη. *Timæ*. 1047. a. Ex quo concludi potest ortum habuisse illa incomposite agitata mundi elementa. Huc succurrit quod Plato, ad secundam cosmologicæ disputationis partem progressus, significat, nempe duo sibi genera rerum primo satis visa fuisse, nunc tertium admittendum, quod poscere ratio videatur, hoc quidem difficile et obscurum, id est, ut brevi comperitur, receptaculum, sive locum infinitum. Τότε μὲν γὰρ δύο εἴδη διειλόμεθα, νῦν δὲ τρίτον ἄλλο γένος ἡμῖν δηλωτέον. Τὰ μὲν γὰρ δύο ἱκανὰ ἦν ἐπὶ τοῖς ἔμπροσθεν λεχθεῖσιν· ἓν μὲν, ὡς παραδείγματος εἶδος.... δεύτερον, γένεσιν ἔχον καὶ ὁρατόν· τρίτον δὲ τότε μὲν οὐ διειλόμεθα, νομίσαντες τὰ δύο ἕξειν ἱκανῶς· νῦν δὲ ὁ λόγος ἔοικεν εἰσαναγκάζειν χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἶδος ἐπιχειρεῖν λόγοις ἐμφανίσαι. *Timæ*. 1059. a. b. His verbis ipse Plato nobis innuit illa temerario æstu concitata et visui subjecta, ad secundum genus pertinere, et ex eo pendere, quod quidem genus, ut cernere est, eget creatore, δεύτερον, γένεσιν ἔχον καὶ ὁρατόν.

Quamvis Plato aperte ac designate opinetur corpora et corporum elementa ex illa χώρᾳ non esse oriunda, attamen hæc

nomina quæ ab eo usurpata vidimus, nempe *mater* et *nutrix* (ὑποδοχὴν αὐτὸ, οἷον τιθήνην.... παντὸς αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχήν. 1059. b, 1060. d, et passim), legentis animum conturbare et ad pravum judicium per devium iter deducere valeant. Facile autem huic errori obviam iveris, si veterum et Platonis ipsius physiologiam recordatus sis, et quæ partes in generatione matri ab illis assignarentur, cogitaveris. Cum, pro eorum sententia, semen vitale, quo futuri animalis jam omnia rudimenta continentur, in matricem inspergatur, velut in agrum, ideo fæmina nihil aliud quam receptaculum præbet, pater autem omnia vivida generationis principia, quæ in se habet, ministrat. Ὃν δὴ σπέρμα ἐν τοῖς πρόσθεν λόγοις εἴπομεν· ὁ δὲ, ἅτ' ἔμψυχος ὢν, καὶ λαβὼν ἀναπνοὴν τοῦ δ' ᾗπερ ἀνέπνευσε, τῆς ἐκροῆς ζωτικὴν ἐπιθυμίαν ἐμποιήσας αὐτῷ, τοῦ γεννᾶν ἔρωτα ἀπετέλεσε... μέχρι περ ἂν ἑκατέρων ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ ἔρως ἐξαγαγόντες οἷον ἀπὸ δένδρου καρπὸν, κᾆτα δρέψαντες, ὡς εἰς ἄρουραν τὴν μήτραν, ἀόρατα ὑπὸ σμικρότητος καὶ ἀδιάπλαστα ζῶα κατασπείραντες. *Timæ*. 1088. b. c.

In illo autem verbo, *nutrix*, fortasse aliquis magis hæreat. Ut hic quoque nodus extricetur, primo attendas rogamus a Platone plerumque apponi vocem τιθήνη, quæ minus expressi sensûs est quam τροφός, et vim minorem habet. Illud τροφός semel tantum a Platone admissum est, versus dialogi finem, ubi de χώρᾳ dicitur: ἐὰν δὲ ἣν τροφὸν καὶ τιθήνην τοῦ παντὸς προσείπομεν. 1088. c.

Sed caveas ne nimium tribuas metaphoræ, ac videas an una translatio verborum plus valere quam meditata et perspicua philosophi decreta possit. Ipsa vero translatio cum cæteris consentana invenitur, ubi innotescit illum qui sensibus per-

cipitur mundum apud Platonem figuris individuis conflari (1), quarum essentia in forma et spatio consistit, et quas locus infinitus excipit, ac veluti nutrix quædam amplectitur sustentatque, τοιάνδε μάλιστα πάσης εἶναι γενέσεως ὑποδοχὴν αὐτὸ, οἷον τιθήνην. *Timæ*. 1059. b.

Confiteamur vero necesse est hic minus facile discutiendam nebulam occurrere, scilicet illius matris motum, qui æternus perhibetur. Est-ne autem ullus in Timæo locus apud quem Plato receptaculum vi propria et ingenita moveri sentiat? at contra, eo judice, ingredientibus elementis movetur receptaculum simul ac distinguitur : ἐκμαγεῖον γὰρ φύσει παντὶ κεῖται, κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον ὑπὸ τῶν εἰσιόντων. 1060. b. Χώρα autem paulo infra dicitur viribus nequaquam pensatis ac ponderatis agitari, et, postquam his viribus commota est, illas vicissim agitare: διὰ δὲ τὸ μήθ' ὁμοίων δυνάμεων μήτ' ἰσοῤῥόπων ἐμπίπλασθαι, κατ' οὐδὲν αὐτοῖς ἰσοῤῥοπεῖν, ἀλλ' ἀνωμάλως πάντη ταλαντουμένην, σείεσθαι μὲν ὑπ' ἐκείνων αὐτὴν (τιθήνην), κινουμένην δ' αὖ πάλιν ἐκεῖνα σείειν. *Timæ*. 1061. e. (1) Ex quo manifesto sequitur spatium non per se moveri. Sed quid ergo? nonne insolitum prorsus est ac mirandum, motum qualemcumque spatio vacuo tribui? Quantacumque sit rei novitas, tamen hic nihil est quod non reliquæ Platonis doctrinæ consentiat. Etenim, si dialecticam audias, nullum fere genus reperitur quod non habile ad motum sit: imo, quamvis motum inter et verum ens, ὄντως ὄν, nulla discrepantia esse videatur, attamen quo

(1) Vide infra, § 4.

(1) In *Legibus* probatur nulli rei, nisi animæ, vim propriam et intimam motûs concessam esse. *Ἆρ' οὖν οὐχ ἡ δι' ἕτερον ἐν ἄλλῳ γιγνομένη κίνησις, αὐτὸ δὲ ἐν αὐτῷ μηδέποτε παρέχουσα κινεῖσθαι μηδὲν, δευτέρα τε καὶ ὁπόσων ἀριθμῶν βούλοιτο ἄν τις ἀριθμεῖν αὐτὴν πολλοστὴν, τοσούτων, σώματος οὖσα ὄντως ἀψύχου μεταβολή;* — ὀρθῶς. *De Leg*. X, 952. c.

minus genus quoddam entis est particeps, eo magis ad motum aptum est. Itaque apud Platonem de plurimis motibus agitur, quos ægre intelligas ac quorum rationem liquidam reddere nobis arduum sit. Ut motum divinum omittamus, de quo dicendum infra (§ 7.), Plato in intelligibilem mundum varios motus, tarditatem, celeritatem, introducit. Ταῦτα μὲν τὰ ἐν τῷ οὐραγῷ ποικίλματα, ἐπείπερ ἐν ὁρατῷ πεποίκιλται... τῶν δὲ ἀληθινῶν πολὺ ἐνδεῖν, ἃς τὸ ὂν τάχος καὶ ἡ οὖσα βραδυτὴς ἐν τῷ ἀληθινῷ ἀριθμῷ καὶ πᾶσι τοῖς ἀληθέσι σχήμασι φοράς τε πρὸς ἄλληλα φέρεται καὶ τὰ ἐνόντα φέρει· ἃ δὴ λόγῳ μὲν καὶ διανοίᾳ ληπτά, ὄψει δ'οὔ. *De Rep.* VII. 702. b. Mirum quidem: nam quidquid intelligi potest, νοητόν, extra locum est, quoniam locus præsertim efficit ne mundus sensibus percipiendus cum æterno mundo, cujus effigies tantum atque umbra est, confundi possit (1). Parte alia neminem fugit animam, quæ nec dividi, neque ob id ipsum in loco esse potest, perpetuo motu moveri. Præterea, apud omnes fere constat motum a Platone Dyadi quoque concessum esse, quæ, plane incorporea, nihil aliud per se sit quam mera relatio, et multo minus, si fieri potest, quam Χώρα, sit entis particeps. Ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπεροχή τις καὶ ἔλλειψις· περὶ δὲ κινήσεως, εἰ μὲν ἔσται ταῦτα κίνησις... *Arist. Met.* I. 7, p. 854. τὰ μὲν γὰρ ταῖς ἀρχαῖς ἀποδιδόασιν, οἷον κίνησιν, στάσιν. *Met.* XIII, 10. p. 966. Nil mirum ergo ab illo philosopho, qui qualitates ac relationes sine substrato multas admittebat (2), motum in

(1) *Loco supra laudato.* ὡς ἕως ἄν τι, τὸ μὲν ἄλλο ᾖ, τὸ δὲ, ἄλλο, οὐδέτερον ἐν οὐδετέρῳ ποτὲ γεγενημένον, ἓν ἅμα ταυτὸν καὶ δύο γεγενήσεσθον. 1061. d.

(2) De hoc sæpe Platonem Aristoteles reprehendit. Ατοπον οὖν, μᾶλλον δὲ ἀδύνατον, τὸ οὐσίας μὴ οὐσίαν ποιεῖν στοιχεῖον καὶ πρότερον· ὕστερον γὰρ πᾶσαι αἱ κατηγορίαι. *Met.* XIV, l. 972. Cf. *Met.* I, 7 et passim.

vacuo positum, (1) et spatio agitationem assignatam fuisse.

Non nos impediet quod nobis novum obstaculum esse volunt, scilicet hæc philosophi dicta quibus malum et necessitas receptaculo et ejus motui adhærere referuntur. Specie magis quam re grave objicitur argumentum. Etenim quo propior nihilo est celebrata illa Platonis materia, eo facilius eam esse quasi quemdam mali fontem intelligitur, et tanquam cæcum fatum quod ab ipso Deo tolli nequeat. Nam quando ens verum et absolutum per se summum bonum et intelligentia summa est, nil mirum cum malo et necessitate conjunctum esse quod aliquo modo enti contrarium est et oppositum.

Nunc, nisi fallimur, jam in Timæo nihil est quod nobis viam obstruere aut nos ab incœpti hujus operis scopo arcere valeat. Ex nulla hujus dialogi parte colligere liceat a Deo Platonis ex æterna materia elementa rerum sensibilium et omnem hunc, qui visu percipitur, mundum exprompta et edita fuisse.

II.

Superiori loco monuimus frustra in Timæo decretoriam Platonis de primis principiis rationem inquirendam esse, quoniam hoc in libro philosophus, physicæ investigationi, tanquam honesto oblectamento, deditus, verisimilia tantum sectatur, et iis se contentum esse non infitiatur. Quæ autem ex

(1) Cf. *Arist. de Cæl.* IV, 2, pag. 487. ἀναγκαῖον δὲ εἴπερ κινεῖται τὸ κενόν, εἶναί τινα αὐτοῦ τόπον... πρὸς δέ τούτοις τί τῆς κινήσεως τὸ αἴτιον; οὐ γὰρ δὴ τό γε κενόν.

dialectico fonte hauriuntur, vera et omni modo certiora ducenda sunt. Huc igitur convertamur, et hinc nova nostro operi propugnacula quæramus. Hoc primun lucnlentis testimoniis in aperto ponere confidimus, nempe, non receptaculum, sed quæ ex magno et parvo constat Dyada apud Platonem materiæ partes obtinuisse.

Notat Aristoteles Platonem id quod vim recipiendi habet alio nomine in Timæo designavisse, alio in iis, quæ non scriptæ sunt, disputationibus : ἄλλον δὲ τρόπον ἐκεῖ τε (ἐν τῷ Τιμαίῳ) λέγων, τὸ μεταληπτικὸν, καὶ ἐν τοῖς λεγομένοις ἀγράφοις δόγμασιν... *Phys.* IV, 4, p. 353. Mox principium illud, quo apud ἄγραφα δόγματα illa Timæi χώρα excipitur, propriis verbis Aristoteles magnum et parvum declarat : εἴτε τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ ὄντος τοῦ μεθεκτικοῦ, εἴτε τῆς ὕλης, καθάπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραφεν. *Phys. ibid.* Parte alia, in primo metaphysicorum librorum cum systema platonicum evolvit, idem Aristoteles, ne mentione quidem ulla de illo Timæi receptaculo facta, nos commonefacit apud hunc philosophum magnum et parvum, ut materiam, esse principia : ὡς μὲν οὖν ὕλην τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι ἀρχάς. *Met.* I, 7, p. 848. Imo, cum in plurimis horum librorum locis, platonicis principiis bellum indicat, nunquam ullam aliam materiam impugnat quam hanc magno et parvo compositam Dyada.

Propria hujus materialis principii natura est infinitum. Quod in Philebo Plato ipse nos docet. Τὸν Θεὸν ἐλέγομέν που, τὸ μὲν, ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων, τὸ δὲ, πέρας... τὸ δὲ τρίτον, ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι ξυμμισγόμενον. *Phil.* 378 a. b. Illud infinitum per se subsistit : οἱ μὲν ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Πλάτων καθ' αὑτὸ, οὐχ ὡς συμβεβηκός τινι ἑτέρῳ, ἀλλ' ὡς οὐσίαν αὐτὸ ὂν τὸ ἄπειρον. *Phys.* III, 4, p. 342, 343. Sed infinitum Pythagorei

unum tantummodo et simplex ponebant, Plato vero duplex habuit et quodammodo duobus elementis conflatum : τὸ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀπείρου ὡς ἑνὸς δυάδα ποιῆσαι, τὸ δ' ἄπειρον ἐκ μεγάλου καὶ μικροῦ, τοῦτ' ἴδιον (Platonis nempe) *Met.* I, 6, p. 848. Cur autem dualitatem pro uno Plato protulerit, et Aristoteles explanat, et in Philebo satis conspicitur. Primo enim notandum hanc infinitatem sic apprime definiri: genus quod plus et minus recipit, καὶ ὁπόσα ἐν τῷ πρόσθεν τῆς τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττόν δεχομένης ἐτίθεμεν εἰς ἓν φύσεως. — Τῆς τοῦ ἀπείρου λέγεις; — Ναί. *Phil.* 379. c. Porro ab eo quod finem habet infinitum discernitur et ideæ opponitur, propterea quod plus et minus finem rejiciant et termino sint contraria : θερμοτέρου καὶ ψυχροτέρου περὶ πρῶτον ὅρα πέρας εἴποτέ τι νοήσαις ἂν ἢ τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἐν αὐτοῖς οἰκοῦν τοῖς γένεσιν , ἕωσπερ ἂν ἐνοικεῖτον, τέλος οὐκ ἂν ἐπιτρεψαίτην γίγνεσθαι· γενομένης γὰρ τελευτῆς, καὶ αὐτὼ τετελευτήκατον. *Phil.* 378 d. Sed quum plus et minus pariter finem rejiciant, et utrique progressus sine modo concedendus sit, ob id ipsum utrumque infinitum apparet, et infinita duo nobis dialectica detegit. Ἀεὶ τοίνυν ὁ λόγος ἡμῖν σημαίνει τούτω μὴ τέλος ἔχειν · ἀτελῆ δ' ὄντε δήπου, παντάπασιν ἀπείρω γίγνεσθαι. *Phil.* 378. d. Præterea ambo ista genera multas species amplectuntur, quarum unaquæque infiniti naturam referat, quum termino, τῷ πέρατι, sit contraria. Ὁπόσ' ἂν ἡμῖν φαίνηται μᾶλλόν τε καὶ ἧττον γιγνόμενα, καὶ τὸ σφόδρα καὶ ἠρέμα δεχόμενα, καὶ τὸ λίαν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, πάντα εἰς τὸ τοῦ ἀπείρου γένος ὡς εἰς ἓν δεῖ πάντα ταῦτα τιθέναι. *Phil.* 379, a. cf. 380. b. Proinde, non solum infinita duo, sed plurima, non solum Dyada, sed multitudinem quamdam intuetur Plato ac nobis proponit: οὐ γὰρ ὁ δυοῖν τινοῖν μικτὸς ἐκεῖνος, ἀλλ' ὁ ξυμπάντων ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων. *Phil.* 380. f. Attamen han

multitudinem in duplici genere comprehendi et sub lege Dyadis componi ex supra dictis constat.

Infinitum, in hanc sententiam acceptum, tanquam principium in rerum omnium ortu adhibetur, neque nascitur ulla res quæ ex illius infiniti cum fine conjugio non pariatur. Sic adest tertium illud genus de quo Plato : τὸ δὲ τρίτον, ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι ξυμμισγόμενον.... et infra magis designate : ἔπειτ' ἐκ τούτων (infiniti scilicet et finiti) τρίτον μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν. *Phil.* 380 d. Unde mox dicit infinitum in hoc mundo esse abunde, terminum vero suppeditari quantum satis est : βέλτιον λέγοιμεν ὡς ἔστιν, ἃ πολλάκις εἰρήκαμεν, ἄπειρόν τε ἐν τῷ πάντι πολὺ καὶ πέρας ἱκανόν. *Phil.* 382 e. Talia sunt igitur elementa quibus sensibilium essentia fingitur. Nunc ex ejusmodi temperamento animam ipsam et animæ dotes constitui non jam in dubio relinquitur, quum circa cujuslibet rei generationem Plato versetur, et peculiaribus verbis profiteatur, infinitis invicem finitisque coeuntibus, permulta atque præclara in animis enasci. Οὐκοῦν ἐκ τούτων ὧραί τε καί ὅσα καλὰ πάντα ἡμῖν γέγονε, τῶν τε ἀπείρων καὶ τῶν πέρας ἐχόντων συμμιχθέντων.... Καί ἄλλα γε δὴ μυρία ἐπιλείπω λέγων. οἷον... ἐν ψυχαῖς αὖ πάμπολλα ἕτερα καὶ πάγκαλα. *Phil.* 379 f. Cum his conferre licet quæ in Timæo subobscure de animæ generatione disseruntur : quum hoc loco animam simul *naturæ ipsius ejusdem* et *naturæ ipsius alterius* (τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως... καὶ τῆς τοῦ ἑτέρου, *Timæ.* 1050 a) participem Plato faciat, putandus est generationem animæ sub legem omnis generationis, quam in Philebo descripsit, coegisse. Quin inter ipsarum idearum elementa scribitur infinitum. Illarum enim quæ principia sunt? hinc magnum et parvum, quæ materiam illis præbent; hinc ipsum unum absolutum et infinitæ Dyadi

contrarium, quod essentiam ministrat : ἐπεί δ' αἴτια τὰ εἴδη τοῖς ἄλλοις, τὰ ἐκείνων στοιχεῖα πάντων ᾠήθη τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα· ὡς μὲν οὖν ὕλην τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι ἀρχὰς, ὡς δ' οὐσίαν, τὸ ἕν... *Met.* I, 6, p. 848 ; et paulo infra : καὶ τίς ἡ ὕλη ἡ ὑποκειμένη, καθ' ἧς τὰ εἴδη, τὰ μὲν ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν, τὸ δ' ἕν, ἐν τοῖς εἴδεσι λέγεται, ὅτι αὕτη δυάς ἐστι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν. *Ibid.* p. 848. (1) Hoc mirum in modum Aristotelis testimonium multis Platonis locis confirmatur ac corroboratur : inter quos eligimus istum potissimum, qui non sententiæ tantum sed etiam verbi similitudine insigne ac notabile est : οἱ μὲν παλαιοὶ... ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν, ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων. *Phil.* 373 d. Denique numeri, ex uno et Dyade, quod sane expectatur, originem ducunt : γεννῶνται γὰρ οἱ ἀριθμοὶ τοῖς μὲν ἐκ τῆς τοῦ ἀνίσου δυάδος τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ, τῷ δ' ἐκ τοῦ πλήθους, ὑπὸ τῆς τοῦ ἑνὸς δὲ οὐσίας ἀμφοῖν· *Met.* XIV, I, p. 970 cf. *Met.* I, 6, p. 848. Quod si hæc omnia in fascem recollegeris, nobis non concedere non poteris Dyada vere et κατὰ νόησιν, materialis principii vices in Platonica doctrina obtinuisse.

Nunc vero, ut res jubet, properemus ostendere illam Dyada nihil cum vulgari, aut cum aristotelica materia commune habere : etenim non per se esse, et, cum in se prorsus substantia non sit, ideo vi substantias gignendi omnino privatam esse.

Primo scias Dyada incorpoream et inextensam fuisse : neque tibi hoc approbare multi negotii est. Scilicet incorpoream esse hicce Aristotelis locus fidem facit : Οἱ μὲν γὰρ ὡς ὕλην τὴν ἀρχὴν

(1) Cf. *Phys.* III, 4. p. 343. Τὸ *μέντοι ἄπειρον καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, καὶ ἐν ἐκείναις* [*ταῖς ἰδέαις*] *εἶναι.*

λέγουσιν... ἐάν τε σῶμα, ἐάν τε ἀσώματον τιθῶσιν· οἷον, Πλάτων μὲν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγων.... *Met.* I, 6, p. 849. Quin ἀσώματον illud ad Platonicam materiam referamus, nemo nos jure prohibeat, neque hic erit cum nobis controversia. Nam apud quem antiquorum, nisi in Platonico systemate, materia corpore sejuncta occurrat? Postea inextensam eamdem esse Dyada ultro percipies, si memineris ex illa componi ideas et numeros, quos extra locum et ideo inextensos esse oportet. Πλάτων δὲ, ἔξω μὲν οὐδεν εἶναι σῶμα, οὐδὲ τὰς ἰδέας, διὰ τὸ μηδέ που εἶναι αὐτάς· *Phys.* III, 4, b. 343. Πλάτωνι μέντοι λεκτέον.. διὰ τὶ οὐκ ἐν τόπῳ τὰ εἴδη καὶ οἱ ἀριθμοί· *Phys.* IV, 4, p. 353. Insuper attendas Aristotelem ipsum in istos invehi qui unam quamdam naturam ut materiam proponunt, et hanc corpoream et extensam volunt, præcipuam autem irascendi in eos causam habere, quod corporum elementa sola ita constituunt, incorporeorum vero negligunt aut supprimunt. Ὅσοι μὲν οὖν... μίαν εἶναί τινα φύσιν ὡς ὕλην τιθέασι, καὶ ταύτην σωματικὴν καὶ μέγεθος ἔχουσαν, δῆλον ὅτι πολλαχῶς ἁμαρτάνουσι· τῶν γὰρ σωμάτων τὰ στοιχεῖα τιθέασι μόνον, τῶν δὲ ἀσωμάτων οὔ. *Met.* I, 7, p. 849. Anne igitur usquam tale aliquid crimen Platoni intulit? Imo in contrarium vitium incidisse illum arguit, ut in omni discipuli adversus magistrum de primis principiis disputatione passim videre est. Ἔτι πῶς ἔσται ἐξ ἀμεγέθων μέγεθος καὶ συνεχές; *Met.* XII 10, p. 1006. c. lib. I, 7; lib. XIII et XIV passim.

At si Dyas corporis expers et inextensa est; si nullo in ordine sensibilium aut intelligibilium rerum, quibus mundi stat compages, adscribi potest; si per se formam non habet (1);

(1) Namque infinitum finem non patitur et essentia non sine fine, τῷ πέρατι, apparet: γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων. *Phil.* 380. b.

jam qualis intelligenda est, et quo pacto describenda ac definienda? Illa quidem, ut proprium Lycæi sermonem usurpemus, non est ens in actu; si igitur pro vera materia sumenda sit, ac revera existat, hoc unum reliquum est ut sit ens in potentia. Sed illud ens in potentia proprium ac peculiare Aristotelis dogma est, neque ab eo in Platonem transferendum: nam si plurimos Metaphysicorum locos et quosdam Physicorum adeas, hæc mera Aristotelis doctrina merito vocetur. Πάντες γὰρ ἐξ ἐναντίων ποιοῦσι πάντα· οὔτε δὲ τὸ πάντα, οὔτε τὸ ἐξ ἐναντίων ὀρθῶς.... ἡμῖν δὲ λύεται τοῦτο εὐλόγως, τῷ τρίτον τὶ εἶναι· *Met.* XII, 10, p. 1005 (1). Hoc τὸ τρίτον Aristotelica materia est, quæ contraria in se simul habeat, et ex se vicissim expromere queat (2). Hac potentiali materia proposita, Aristoteles his difficultatibus, quæ de definitione et uniuscujusque entis unitate exoriuntur, expeditur liberaturque: εἰ δέ ἐστιν, ὥσπερ λέγομεν.. τὸ μὲν δυνάμει τὸ δ' ἐνεργείᾳ, οὐκ ἔτι ἀπορία. *Met.* VIII. p. 931. Sed in Dyade nihil admodum simile est; in ea nulla est rerum essentia; in illam extrinsecus, vel per ideas, vel per unum, formæ afferuntur, nedum ex ea fundantur: τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ τῶν ἄλλων τὰ εἴδη παρέχονται, τοῖς δ' εἴδεσι, τὸ ἕν. *Met.* I, 6, p. 849. Quod si de hoc nobis aliquis contradicat, ipsum Platonicæ de ideis doctrinæ fundamentum evellat. Ergo jure ad hanc conclusionem ducimur, nempe inextensam Dyada nec in actu entia præbere, nec in potentia complecti.

(1) Cf. *Met.* VIII, 6, p. 931. Φανερὸν δὴ ὅτι οὕτω μὲν μετιοῦσιν... οὐκ ἐνδέχεται ἀποδοῦναι, καὶ λῦσαι τὴν ἀπορίαν. Εἰ δὲ ἐστιν, ὥσπερ λέγομεν, τὸ μὲν ὕλη, τὸ δὲ μορφὴ, καὶ τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ, οὐκ ἔτι ἀπορία δόξειεν ἂν εἶναι τὸ ζητούμενον. Cf. *De gen. et corr.* II, 1, p. 514.

(2) Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, ἐκ ποίου μὴ ὄντος ἡ γένεσις... εἰ δὴ τί ἐστι δυνάμει... ὥστε εἰ ὕλη μία, ἐκεῖνο ἐγένετο καὶ ἐνεργείᾳ, οὗ καὶ ἡ ὕλη ἦν δυνάμει. *Met.* XII, 2, 996: Cf. *De gen. et corr.* p. 514 et 523.

Postquam autem Dyadi hæc tam multa negata sunt, quid jam illi concedetur? jam tot locis exclusa, qua tamdem sede collocabitur? uno verbo, qualis est et quo nomine? Talia interroganti tantummodo respondendum est, eam non per se esse, neque proprie essentiam in se habere. Testis Aristoteles qui in primo Metaphysicorum non obscure docet hanc Dyada mathematicum quoddam figmentum, et substantiæ materiæque differentiam esse magis quam materiam per se subsistentem: ἔτι δὲ τὴν ὑποκειμένην οὐσίαν, ὡς ὕλην μαθηματικώτεραν ἄν τις ὑπολάβοι, καὶ μᾶλλον κατηγορεῖσθαι, καὶ διαφορὰν εἶναι τῆς οὐσίας καὶ τῆς ὕλης, οἷον τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν... c. 7, p. 854. Idem, in quatuordecimo libro, vehementius negat magnum et parvum substantias esse, vel substantiam per se efficere; sed meras tantummodo relationes esse contendit, quas in ultimum entis gradum removere, atque ab essentia et τῷ ἀληθινῶς ὄντι longissime seponere oporteat: ἔτι δὴ πρὸς ταύτῃ τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ πρός τι ἀνάγκη εἶναι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν, καὶ ὅσα τοιαῦτα· τὸ δὲ πρός τι, πάντων ἥκιστα φύσις τὶς ἢ οὐσία τῶν κατηγοριῶν ἐστι· καὶ ὑστέρα τοῦ ποιοῦ, καὶ τοῦ ποσοῦ, καὶ πάθος τι τοῦ ποσοῦ τὸ πρός τι ὡς προελέχθη, ἀλλ' οὐχ ὕλη ἤ τι ἕτερον. c. 1, p. 971... ὅτι ἥκιστα οὐσία τις καὶ ὄν τι τὸ πρός τι .. *ibid.* p. 972. Relatio autem in neutrum substantiarum genus reponi potest, et ab utroque pariter expellitur; qua enim ratione ens, vel actu, vel potentia id esse possit, quod ad aliud quid semper refertur? τὸ δὲ πρός τι, οὔτε δυνάμει οὐσία, οὔτε ἐνεργείᾳ. *Met.* XIV, 1, p. 972. Cum sic Aristoteles loquatur, perinde est ac si ipsum Platonem audias. Plato enim omnia, quæ sunt, in duo genera divisit, unum eorum, quæ per se existunt, alterum eorum, quæ ad alia referuntur: τῶν ὄντων τὰ μὲν, αὐτὰ καθ' αὑτά, τὰ δὲ, πρὸς ἄλλα ἀεὶ λέγεσθαι. *Soph.* 178. e. Ergo in secundum genus infinitum

et varias infiniti species, lege ipsa dialecticæ cogente, relegat. Huc adducitur in Philebo, et in illa habiti de Republica dialogi parte, ubi de variis generibus tractatur, quæ plus et minus, id est infinitum (1), admittunt : οὐκ ἔμαθες ὅτι τὸ μεῖζον, τοιοῦτόν ἐστιν οἷον τινὸς εἶναι μεῖζον ; — Πάνυ γε. — Οὐκοῦν τοῦ ἐλάττονος; — Ναί. — ... Καὶ τὰ πλείω δὴ πρὸς τὰ ἐλάττω, καὶ τὰ διπλάσια πρὸς τὰ ἡμίσεα, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα.... ἆρ' οὐχ οὕτως ἔχει; — Πάνυ μὲν οὖν. *De Rep.* IV, 643. c. d. Proinde, cum Dyas nihil aliud esse appareat quam duplex relatio in infinitum vergens, in ea nil stabile, nec fixum, nec quod certo nomine definiri queat, attingere licet. Quocirca illius elementa, excessum et defectum, rectiori voce, quam magnum et parvum appelles. Ipse Aristoteles, quæ nomina hic aptissima sint, apprime significavit : οἷον τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν... ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπεροχή τις καὶ ἔλλειψις. *Met.*I, 7, p. 854 καθόλου δ' ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ τὸ μέγα φησὶ Πλάτων καὶ τὸ μικρόν. *Phys.* I, 5, p. 319 (2). Plato autem his ipsis verbis usus est. Nos quidem illa sæpissime apud dialogos offendimus, ac facile, si liberet, sexcentos locos in medium afferre possemus, ubi ὑπερβολή, vel ὑπεροχή, vel πλεονεξία, ac contra ἔλλειψις, vel ἔνδεια, adhibentur, et generatim vel ad infinitum duplex, vel ad infinitorum consequentia referuntur. Hæc tantum sub oculos ponamus :

(1) In utroque eorum genere quæ finem, sive mensuram, rejiciant, et ideo sine termino, vel crescant, vel decrescant, infinitum constare, supra ostendimus. Ἀεὶ τοίνυν ὁ λόγος ἡμῖν σημαίνει τούτω (sc. τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον) μὴ τέλος ἔχειν· ἀτελῆ δ' ὄντε δήπου, παντάπασιν ἀπείρω γίγνεσθαι. *Phil.* 378 d.

(2) Hic notandum in quatuord. libro *Metaphys.* Aristotelem aliquos, sane ex Platonicorum cœtu, designare, qui proprie excedentem e excessum pro magno et parvo posuerant. Οἱ μὲν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγοντες... οἱ δὲ τὸ πόλυ καὶ ὀλίγον.. οἱ δὲ τὸ καθόλου μᾶλλον ἐπὶ τούτων τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον· διαφέρει τούτων οὐθὲν ὡς εἰπεῖν. C. 1. p. 971.

Πρῶτον τοίνυν εἰδῶμεν πᾶσαν τήν τε ὑπερβολὴν καὶ τὴν ἔλλειψιν, ἵνα κατὰ λόγον ἐπαινῶμεν καὶ ψέγωμεν... Ὁ λόγος ἡμῖν... ὀρθῶς ἂν γίγνοιτο... μήκους τε πέρι καὶ βραχύτητος, καὶ πάσης ὑπεροχῆς καὶ ἐλλείψεως· ἡ γάρ που μετρητικὴ περὶ πάντ' ἐστι ταῦτα. *Polit.* 545 b. c, cf. 546 d. καὶ τίς ἄλλη ἀναξία ἡδονῇ πρὸς λύπην ἐστίν, ἀλλ' ἡ ὑπερβολὴ ἀλλήλων καὶ ἔλλειψις; ταῦτα δ' ἐστὶ μείζω τε καὶ σμικρότερα... καὶ μᾶλλον καὶ ἧττον. *Protag.* 247 a. ὑπερβολῆς τε καὶ ἐνδείας ἐστίν ἡ τέχνη. *Ibid.* 247. e. φαμὲν δ' εἶναί που τὸ νῦν ὀνομαζόμενον ἁμάρτημα τὴν πλεονεξίαν. *De Leg.* X, 959. a. τεττάρων γὰρ ὄντων γενῶν ἐξ ὧν συμπέπηγε τὸ σῶμα... τούτων παρὰ τὴν φύσιν πλεονεξία καὶ ἔνδεια.. στασεὶς καὶ νόσους παρέχει.. *Timæ.* 1081. d. Profecto in his omnibus excessus ac defectus nullam aliam ad rem pertinent, quam ad infinitum, vel inæqualem Dyada (τῆς τοῦ ἀνίσου δυάδος. *Met.* XIV, 1, p. 970), et mala quæ ex ea profluunt. Quare id propria existentia carens principium sæpenumero verbo notatur, quod ejus essentiam in relatione constare satis arguit. Scilicet Aristoteles, ut id designet, has voces *inæquale*, *alterum*, *aliud*, alternis vicibus usurpat : οἱ δὲ τὸ ἕτερον καὶ τὸ ἄλλο πρὸς τὸ ἓν ἀντιτιθέασιν... τὸ δ' ἄνισον, τῷ ἴσῳ (ἐναντίον), καὶ τὸ ἕτερον, τῷ ταὐτῷ. *Met.* XIV, 1, p. 971. Tum apud Platonem idem eadem nomina gerit : τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς τοῦ ἑτέρου. *Timæ.* 1050 a. τὴν γὰρ θατέρου φύσιν ἀποδείξαντες οὖσάν τε καὶ κατακεκερματισμένην ἐπὶ πάντα... *Soph.* 180 f.. τὰ ἐναντία πάντα (infinito scilicet et infiniti generibus) δεχόμενα, πρῶτον μὲν τὸ ἴσον καὶ ἰσότητα... *Phil.* 379. b. ; ex quo infinitum inæquale esse, quum æquali sit contrarium, intelligitur. Huc quoque succurrit illud Theæteti, quod magni sane ponderis est : Οὐσίαν λέγεις καὶ τὸ μὴ εἶναι, καὶ ὁμοιότητα καὶ ἀνομοιότητα, καὶ τὸ ταυτόν τε καὶ τὸ ἕτερον, ἔτι δὲ ἕν τε καὶ τὸν ἄλλον ἀριθμὸν περὶ αὐτῶν, *Theæt.* 135. d.

Jam satis demonstratum nobis esse videtur, Dyada per se ipsam essentiam non habere, nec ullam aliam rem esse, nisi meram relationem, atque ideo inter substantias nullo modo adscribendam. Adeo ut nihil admodum gignere possit, atque illa vera æternaque materia, de qua nonnullas scholas disputasse invenimus, neutiquam habenda sit.

III.

Si quis autem velit, quid sit apud Platonem materia, definire, non satis esse arbitretur, si dicat eam esse meram relationem, atque in ultima entis categoria collocandam : eam autem ens esse omnino negandum. Quod quidem ex quibusdam Aristotelis verbis, et planissime ex Sophista constat.

Audiamus primo Aristotelem : « Cum multæ sint causæ quare Plato et illius schola in talia rerum principia lapsi sint, illa ante alias ponenda est, quod more antiquo philosophari solebant. Videbatur enim eis omnia entia fore unum, scilicet ipsum ens, nisi quis Parmenidem refellere velit (1) et argumentum tollere quo non-entia esse omnino iste negabat. Quo vero sententiam suam certius approbarent, necesse erat ut ostenderent, esse quod non-ens dicitur; inde enim erat concludendum ex ente atque alio aliquo adjuncto entia fore, si multa sunt. » Πολλὰ μὲν οὖν τὰ αἴτια τῆς ἐπὶ ταύτας τὰς αἰτίας ἐκτροπῆς, μάλιστα

(1) Τὸν τοῦ πατρὸς Παρμενίδου λόγον ἀναγκαῖον ἡμῖν ἀμυνομένοις ἔσται βασανίζειν καὶ βιάζεσθαι, τό, τε μὴ ὂν ὡς ἔστι κατά τι, καὶ τὸ ὂν αὖ πάλιν ὡς οὐκ ἔστι πῃ. *Soph.* 169. e. Cf. *Ibid.* 180. e.

δὲ τὸ ἀπορῆσαι ἀρχαϊκῶς. Ἔδοξε γὰρ αὐτοῖς πάντ' ἔσεσθαι ἓν τὰ ὄντα, αὐτὸ τὸ ὂν εἰ μή τις λύσει, καὶ ὁμόσε βαδιεῖται τῷ Παρμενίδου λόγῳ· οὐ γὰρ μήποτε τοῦτο οὐδαμῇ εἶναι μὴ ἐόντα· ἀλλὰ ἀνάγκη εἶναι τὸ μὴ ὂν δεῖξαι ὅτι ἐστίν. Οὕτω γὰρ ἐκ τοῦ ὄντος καὶ ἄλλου τινὸς, τὰ ὄντα ἔσεσθαι εἰ πολλά ἐστι. *Met.* XIV, 2, p. 972. 973. Nonne hæc attendenti omnino liquet ex ente atque non-ente omnia oriri, auctore Platone? nonne in Dyadis locum illud non-ens subiisse ac successisse jure suspicari licet? (1).

Nihil est quidem quod ad hanc, de qua nunc disputatur, quæstionem magis pertineat, quam ille Sophistæ locus, in quo Plato ea, quæ attigit Aristoteles, plane describit. Scilicet affirmat esse audacter pronuntiandum, illud, quod non-ens dicitur, naturam propriam habere et inter species obtinere locum. Καὶ δεῖ θαῤῥοῦντα ἤδη λέγειν ὅτι τὸ μὴ ὄν, βεβαίως ἐστὶ, τὴν αὑτοῦ φύσιν ἔχον· ὥσπερ τὸ μέγα ἦν μέγα, καὶ τὸ καλὸν, ἦν καλὸν, καὶ τὸ μὴ μέγα καὶ τὸ μὴ καλὸν, οὕτω δὲ καὶ τὸ μὴ ὂν κατὰ ταυτὸ ἦν τε καὶ ἔστι μὴ ὂν, ἐνάριθμον τῶν πολλῶν εἶδος ἕν. *Soph.* 180. d. e.

Qui vero dicat non-ens entis esse contrarium, in errorem incidat; at tantummodo alterum quiddam est habendum. Ὁπόταν τὸ μὴ ὂν λέγωμεν, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἐναντίον τι λέγομεν τοῦ ὄντος, ἀλλ' ἕτερον μόνον. *Soph.* 179 f. Quod si quis de entis contrario dissereret, illud quidem in mente haberet, quod primum animo non plane comprehendi, nusquam dehinc in natura rerum reperiri possit. Sic prorsus ex Platonis sententia existimandum : si ens idemque unum per se non omnia evadat, non-ens necessario reperiri, et ideo aliquo modo entis fieri particeps.

(1) *Αὕτη γὰρ ἡ παρέκβασις αἰτία καὶ τοῦ τὸ ἀντικείμενον ζητοῦντας, τῷ ὄντι καὶ τῷ ἑνὶ, ἐξ οὗ καὶ τούτων τά ὄντα, τὸ πρός τι, καὶ τὸ ἄνισον ὑποθεῖναι...* *Met.* XIV, 2, p. 973.

τῷ μὴ ὄντι τοῦ εἶναι μέτεστι. .. καὶ οὐσία δὴ φαίνεται . .. εἰ μὴ ἔστι. *Parm.* 1134. d. Attamen non-ens, quanquam τοῦ εἶναι sit particeps, propriam nihilominus naturam τοῦ μὴ εἶναι retinet : ἐπειδὴ οὐκ ἔστι, τοῦ εἶναι ἀνάγκη μετεῖναι, εἰς τὸ μὴ εἶναι. — Δεῖ ἄρα αὐτὸ δεσμὸν ἔχειν τοῦ μὴ εἶναι, τὸ εἶναι μὴ ὄν, εἰ μέλλει μὴ εἶναι. . τὸ δὲ μὴ ὄν, μὴ οὐσίας μὲν τοῦ μὴ εἶναι μὴ ὄν (μέτεχει), οὐσίας δὲ τοῦ εἶναι μὴ ὄν, εἰ καὶ τὸ μὴ ὂν αὖ τελέως ἔσται. *Parm.* 1134. d. Ita demum illud de non-ente dogma brevi concludi potest : tantum est non-ens quantum necessitas postulat, ut in rerum natura detur; nil est amplius.

Nobis autem Dyada, cum illo principio, quod Plato Aristotelesque (Platonis principia referens) θάτερον vocant, omnino posse confundi, jure, ut videtur, dicentibus, nullo modo arduum est comprobare, Dyada ad istud, quod nunc deprehendimus, non-ens esse redigendam. Illud enim θάτερον est in quo non-ens lateat. «Non solum, ait Plato, non entia esse ostendimus, sed quæ sit non-entis species demonstravimus. Cum enim ostenderemus alterius ipsius naturam esse, perque omnia entia divisam atque dispersam invicem, et unamquamque ejus partem enti oppositam, esse ipsum revera non-ens asseruimus. » Ἡμεῖς δέ γε οὐ μόνον τὰ μὴ ὄντα ὡς ἔστιν ἀπεδείξαμεν, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶδος, ὃ τυγχάνει ὂν, τοῦ μὴ ὄντος ἀπεφηνάμεθα· τὴν γὰρ θατέρου φύσιν ἀποδείξαντες οὖσάν τε καὶ κατακεκερματισμένην ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα πρὸς ἄλληλα, τὸ πρὸς τὸ ὂν ἕκαστον (1) μόριον αὐτῆς ἀντιτιθέμενον, ἐτολμήσαμεν εἰπεῖν, ὡς αὐτὸ τοῦτό ἐστιν ὄντως τὸ μὴ ὄν. *Soph.* 180. f. 181. a. (2) Quæ autem est illa *al-*

(1) Τὸ ὂν ἕκαστον... Sic edit. Bekker. In edit. Francf. τὸ ὂν ἑκάστου... legas, quæ quidem lectio minus ad nostram sententiam comprobandam apta.

(2) Τὸ μὲν δὴ μὴ ὂν ἡμῖν ἕν τι τῶν ἄλλων γένος ἀνεφάνη, κατὰ πάντα τὰ ὄντα διεσπαρμένον. *Soph.* 181. f.

terius natura per omnia entia divisa atque dispersa, nisi indefinita magni et parvi Dyas, quam hactenus investigavimus summa cura, et quæ tandem ad non-ens manifesto redigitur ?

Nunc, ubicumque infinitum, et in τῇ γενέσει, et in ideis, Plato collocaverat, quod verius et ad dialecticæ normam magis accommodatum videtur, non-ens reponit. Nam alterius ipsius natura unumquodque entium non-ens efficit; unde fit ut cuncta similiter non-entia propter hanc causam, atque ideo quod cum ente communicant, rursus entia sint vocanda. Ἔστιν ἄρα ἐξ ἀνάγκης τὸ μὴ ὂν ἐπί τε κινήσεως εἶναι, καὶ κατὰ πάντα τὰ γένη· κατὰ πάντα γὰρ ἡ θατέρου φύσις, ἕτερον ἀπεργαζομένη τοῦ ὄντος, ἕκαστον οὐκ ὂν ποιεῖ. καὶ ξύμπαντα δὴ κατὰ ταυτὰ, οὕτως οὐκ ὄντα ὀρθῶς ἐροῦμεν· καὶ πάλιν, ὅτι μετέχει τοῦ ὄντος, εἶναι τε καὶ ὄντα. *Soph.* 179. d. Quidquid generatum fuit, ita nobis apparet, ut simul esse et non esse videatur, ideoque inter vere ens et omnino non-ens jure sit ponendum. Οὐκοῦν ἔφαμεν ἐν τοῖς πρόσθεν εἴ τι φανείη οἷον ἅμα ὄν τε καὶ μὴ ὂν, τὸ τοιοῦτον μεταξὺ κεῖσθαι τοῦ εἰλικρινῶς ὄντος τε καὶ τοῦ πάντως μὴ ὄντος. *De Rep.* V. 669. a. Paulo infra sensibilia Socrates ait media inter omnino ens et omnino non-ens volvi: τὰ τῶν πολλῶν πολλὰ νόμιμα καλοῦ τε πέρι, καὶ τῶν ἄλλων, μεταξύ που κυλινδεῖται τοῦ τε ὄντος καὶ τοῦ μὴ ὄντος. *Ibid* 669. e. Quin etiam ideas ipsas non-ens invadere comperias, quod secum illam infiniti, quæ ipsius est propria et peculiaris, naturam invehit, illisque addit. Περὶ ἕκαστον ἄρα τῶν εἰδῶν πολὺ μέν ἐστι τὸ ὄν, ἄπειρον δὲ πλήθει τὸ μὴ ὄν. *Soph* 179. e.

Quod si illud principium, quod infinitum, inæquale, alterum, nullo discrimine vocatur, nihil aliud est nisi non-ens, materiam ipsam, de qua Plato disserit, non-ens esse satis mafestum. Quapropter ex ejusmodi natura nihil oriri, in ea nihil

nisi privationem (1) et defectum apparere, non est cur miremur. Jam vero quid inter illam atque nihilum, de quo multa inter Christianos theologi tradiderunt, intersit, non facile possis discernere. Illud certe *audacter est affirmandum*, ut Platonis verba usurpemus, hujus generis materiam esse nullam, neque potuisse mundo originem dare, quid plura? in ea nihil inesse quod Deum δημιουργοῦντα adjuvet, imo non impediat.

Quod si ita se res habet, non video jam quid sit causæ cur principio, quod per se nihil est, materiæ nomen imponatur. Nullum est verbum quod minus apte θατέρον illud, quale sit, designet; ita ut, si interpretari velis, plane intelligas, quemadmodum apud Aristotelem legimus, a Platone materiam aboleri : διὸ καὶ τὸ πάντα ἀνάγειν οὕτω (ὡς οἱ τὰς ἰδέας λέγοντες), καὶ ἀφαιρεῖν τὴν ὕλην, περίεργον. *Met.* VII, 11, p. 199. a.

IV

Principia vero mundi, quem ex materia quadam æterna non ortum fuisse constat, illud, quod νοητὸς τόπος (*De Rep.* VI.) nuncupat Plato, absolute continebit. Nunc demonstrandum est omnia quæ generata sunt, in ideis causam τοῦ εἶναι habere, et ex iis essentiam, et quidquid ἀληθείας sortita sint, hausisse. Primum autem, quæ ad mundum sensibilem pertinent, disseremus.

(1) Ἐπεὶ καὶ Πλάτων... ἄπειρα δύο ἐποίησεν... ποιήσας μέντοι δύο οὐ χρῆται. *Arist. Phys.* III, 8, p. 348. — Φανερὸν ὅτι ὡς ὕλη τὸ ἄπειρον αἴτιόν ἐστι· καὶ ὅτι τὸ μὲν εἶναι αὐτῷ στέρησίς ἐστι. *Phys.* III, 12, p. 350.

Quod ex variis elementis (terra scilicet, aere, et aliis) in unum compositis conflatur, illud proprie corpus Plato vocat: πάντα γὰρ ἡμεῖς ταῦτα (πῦρ, γῆν, κ. τ. λ.) τὰ νῦν δὴ λεχθέντα, ἆρ' οὐκ εἰς ἓν συγκείμενα ἰδόντες ἐπωνομάσαμεν σῶμα; — Τί μήν; *Phil.* 382. b. Elementa vero ista, quæ nonnulli prima rerum principia esse voluerant, mundi neutiquam vera esse primordia censet, et usque adeo id persuasum habet, ut contendat eum esse omnino insanum qui illa elementorum vicem obtinere arbitretur. νῦν γὰρ οὐδείς πω γένεσιν αὐτῶν μεμήνυκεν, ἀλλ' ὡς εἰδόσι πῦρ ὅ τι ποτέ ἐστι, καὶ ἕκαστον αὐτῶν, λέγομεν ἀρχὰς, αὐτὰ τιθέμενοι στοιχεῖα τοῦ παντός· προσῆκον αὐτοῖς οὐδ' ὡς ἐν συλλαβῆς εἴδεσι μόνον εἰκότως ὑπὸ τοῦ καὶ βραχὺ φρονοῦντος ἀπεικασθῆναι. *Timæ.* 1058. e. Ignis, et alia, quæ physici nobis ante oculos solent ponere, elementa, omnia ortum habent: καὶ δὴ καὶ πῦρ τὸ διὰ παντὸς τοιοῦτον, καὶ ἅπαν ὅσον περ ἂν ἔχῃ γένεσιν· *Timæ.* 1059. e. Ideo, quum generata sint, illorum principia requirenda, quæ manifesto sunt simul et corporum et omnis sensibilis mundi principia.

Quod si ignis, terra, aqua et aer, ita sunt natura condita ut profunditatem habeant, profunditatem vero ex planis constare necessarium sit, jam apparet quædam plana illorum esse principia, quæ vulgo elementa habentur: πρῶτον μὲν δὴ πῦρ καὶ γῆ καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ, ὅτι σώματά ἐστι, δῆλόν που καὶ παντί· τὸ δὲ τοῦ σώματος εἶδος πᾶν, καὶ βάθος ἔχει· τὸ δὲ βάθος αὖ πᾶσα ἀνάγκη τὴν ἐπίπεδον περιειληφέναι φύσιν. *Timæ.* 1062 b. Mox, qualia sint illa plana intelliges, ubi omne planum ex triangulis conflari, et omnes triangulos ex duobus initium sumere, habentibus utrisque rectum angulum et acutos duos, noveris: ἡ δὲ ὀρθὴ τῆς ἐπιπέδου βάσεως, ἐκ τριγώνων συνέστηκε· τὰ δὲ τρίγωνα ἅπαντα ἐκ δυοῖν ἄρχονται, μίαν μὲν ὀρθὴν ἔχοντος ἑκατέρου γωνίαν, τὰς δὲ δύο, ὀξείας.

Timæ. 1062. c. Horum triangulorum alter, qui isosceles nominatur, duo latera, acutis angulis opposita, æqualia habet; alter, qui scalenus, inæqualia : ὧν τὸ μὲν ἕτερον ἑκατέρωθεν ἔχει μέρος γωνίας ὀρθῆς, πλευραῖς ἴσαις διηρημένης· τὸ δ' ἕτερον, ἀνίσοις ἄνισα μέρη νενεμηνένης. *Timæ*. 1062. c. Illud autem triangulorum scalenorum genus, cum species numero infinitas contineat, non ideo ad id nos adducit, ut quamlibet speciem elementum habeamus, sed illam tantummodo quæ nobis longius latus breviore latere triplo majus ostendat : προαιρετέον οὖν αὖ τῶν ἀπείρων τὸ κάλλιστον, εἰ μέλλομεν ἄρξεσθαι κατὰ τρόπον... τὸ μὲν ἰσοσκελές, τὸ δέ, τριπλῆν κατὰ δύναμιν ἔχον τῆς ἐλάττονος τὴν μίαν πλευρὰν ἀεί. *Timæ*. 1062. d. e. Ea est horum triangulorum natura, ut nullo modo queant dividi, non adeo atomorum, quas Leucippus descripsit, absimilia : ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραφε Πλάτων· τοσοῦτον γὰρ διαφέρει τοῦ μὲν τὸν αὐτὸν τρόπον Λευκίππῳ λέγειν, ὅτι ὁ μὲν στερεά, ὁ δ' ἐπίπεδα λέγει τὰ ἀδιαίρετα· καὶ ὁ μὲν ἀπείροις ὡρίσθαι σχήμασι τῶν ἀδιαιρέτων στερεῶν ἕκαστον, ὁ δὲ ὡρισμένοις· ἐπεὶ ἀδιαίρετά γε ἀμφότεροι λέγουσι, καὶ ὡρισμένα σχήμασιν. *De gen. et corr.* I. 8, p. 509. (1) Præterea illos adeo parvos ducendum est, ut quæ ex illis componuntur solida, haud ipsa, tanta est exiguitas, possint aspici. πάντα οὖν δεῖ ταῦτα (τὰ στερεὰ) διανοεῖσθαι, σμικρὰ οὕτως, ὡς καθ' ἓν ἕκαστον μὲν τοῦ γένους ἑκάστου, διὰ σμικρότητα οὐδὲν ὁρώμενον ὑφ' ἡμῶν. *Timæ*. 1064. b.

Quæ quidem plana sunt omnium sensibilium primordia. Ex his etenim ignis atque cæterorum, quæ elementa vulgo habentur, corpora ducunt originem: δύο τρίγωνα, ἐξ ὧν τό, τε τοῦ πυρὸς καὶ τὰ τῶν ἄλλων σώματα μεμηχάνηται. *Timæ*. 1062. e..

(1) Καὶ πάλιν εἰ μεγέθη ἄτομα, πότερον, ὡς Δημόκριτος καὶ Λεύκιππος, σώματα ταῦτά ἐστιν, ἢ ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ, ἐπίπεδα. *De gen. et corr.* I. 2, p. 496.

γίγνεται μὲν γὰρ ἐκ τῶν τριγώνων ὧν προῃρήμεθα, γένη τέτταρα. *Ibid.* 1062. f.

Nunc eo venimus, ut qna ratione componantur illæ corporeæ naturæ attingamus; (quippe copiosius dicere est supervacaneum). Satis autem esse arbitramur, si exponimus ex triangulo isosceli sibi sæpius adjuncto, oriri cubicam figuram, κυβικὸν, quæ elementum et quodammodo semen est terræ (στοιχεῖον καὶ σπέρμα, 1064. b.); atque ex triangulo cujus latera prorsus sunt inæqualia, constare pyramidem quamdam, ignis elementum, et alia duo solida, unde aer et aqua generantur (1). Quæ quidem si essent diligentius explananda, his generibus annumeranda foret medulla, quæ peculiarem ex triangulis compositionem habet (2).

Quum omnia ex quibus mundus ille sensibilis constat, in duo genera, substantias nempe atque qualitates, dividantur; substantias Plato in individuis triangulis collocat, vel in solidis et generibus corporeis, quæ ex alterutro triangulorum genere conflantur; qualitates vero nihil esse aliud nisi motus et figuras corporum, atque, ex alia parte, animi sensus affectusque, affirmat (3). Inde factum est ut Aristoteles Platonem dixerit omnes

(1) Ignis elementum est pyramis, cujus basis triangulusæquilaterus. Aeris elementum est regulare octaedrum, cujus plana trianguli æquilateri. Aquæ elementum est regulare εἰκοσάεδρον. Vid. *Timæ.* 1063, et Gallic. vers. V. Cousin, XII, p. 165.

(2) Αὐτὸς δὲ ὁ μυελὸς γέγονεν ἐξ ἄλλων· τῶν γὰρ τριγώνων ὅσα πρῶτα ἀστραβῆ καὶ λεῖα ὄντα, κ. τ. λ. *Timæ.* 1075 d.

(3) Vid. *Timæ.* p. 1067. e — 1072. c. Hoc in libro copiosius explicat Plato quomodo elementorum collocatio motusque, et animi *passiones* (παθήματα) genuerint : 1. calorem et frigus, 1067 d.; 2. duritiem et mollitiem, 1068. b; 3. levitatem et gravitatem, 1068. b; 4. aspera et levia, 1069. b; 5. saporem, 1070. c; 6. odorem, 1071. a; 7. sonum, 1071. c; 8. colorem, 1071. d.

corporum qualitates sustulisse : τοῖς δ' εἰς ἐπίπεδα διαιροῦσιν, οὐκ ἔτι· οὐδὲν γὰρ γίνεται πλὴν στερεὰ, συντιθεμένων κατὰ πλάτος· πάθος γὰρ οὐ δ' ἐγχωροῦσι γεννᾷν οὐδὲν ἐξ αὐτῶν. *De gen. et corr.* I. 2, p. 496. πρὸς τὰ πάθη γε, καὶ τὰς δυνάμεις καὶ τὰς κινήσεις, ἀσύμφωνα τὰ σχήματα τοῖς σώμασιν. *De cœl.* IV. 8, p. 483.

Quæ cum ita sint, si motum et individuos triangulos ad intelligibilia referri redigique evicerimus, jam omnem sensibilem mundum in intellectuali quasi semen et radices habere, fuerit demonstratum.

Quod ad motum attinet, illum vi quadam animæ excitari ex Timæo liquet et in dialogis sæpenumero declaratur. Corporalis motus non fieri potest, nisi elementa, id est, trianguli, sint inæqualia : οὕτω δὲ στάσιν μὲν ἐν ὁμαλότητι, κίνησιν δὲ εἰς ἀνωμαλότητα ἀεὶ τιθῶμεν. *Timæ.* 1065. b. Illius vero effectrix causa est mundanæ animæ circuitus, quæ omnia constringit, et parva in magnorum inania contrudit : ἡ τοῦ παντὸς περίοδος, ἐπειδὴ συμπεριέλαβε τὰ γένη, κυκλοτερὴς οὖσα, καὶ πρὸς αὐτὴν πεφυκυῖα βούλεσθαι ξυνιέναι, σφίγγει πάντα, καὶ κοινὴν χώραν οὐδεμίαν ἐᾷ λείπεσθαι... ἡ δὴ τῆς πιλήσεως ξύνοδος τὰ σμικρὰ εἰς τὰ τῶν μεγάλων διάκενα ξυνωθεῖ. *Timæ.* 1065. c. (de περιόδῳ τοῦ παντός, cf. *Timæ.* 1050, 1051). Nullum aliud movendi principium quæri oportere, quæ in Phedro leguntur, confirmant : μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτὸ, οὔ ποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. *Phædr.* 1221. b. Præterea, omnium sensibilis mundi mutationum animam esse causam primariam, in Legibus traditur et abunde exponitur : σωμάτων ἔμπροσθεν πάντων γενομένη (ψυχὴ), καὶ μεταβολῆς τε αὐτῶν καὶ μετακοσμήσεως ἁπάσης ἄρχει, παντὸς μᾶλλον. *De Leg.* X. 949. d. Ἀρχὴν ἄρα κινήσεων πασῶν καὶ πρώτην ἔν τε ἑστῶσι γενομένην καὶ ἐν κινουμένοις οὖσαν τὴν αὐτὴν κινουσαν, φα-

σομεν ἀναγκαίως εἶναι πρεσβυτάτην καὶ κρατίστην μεταβολὴν πασῶν. *Ibid.* 951. e; cf. 952. d (1).

In substantiis autem et individuis triangulis, nihil est, si Timæum interrogaveris, quod te morari possit. Constat illud, quod nascitur, ab ingenerata idea, quæ semper eadem est, gigni et hujus similitudinem referre; inde ideam patri comparari : τὸ δ' ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον· καὶ δὴ καὶ προσεικάσαι πρέπει...τὸ δ' ὅθεν, πατρί. *Timæ.* 1060. b. Quod si memineris patrem, ex antiquorum sententia (ut supra retulimus, § 1), semen vitale præbere, quod jam omnia vivida generationis principia in se habeat, fateberis neque clarius neque planius posse indicari elementa quoque sensibilia ab intelligibili principio essentiam ducere. Hæc elementa quæ, in τὴν χώραν penetrantia, receptaculo motum et figuram addunt (κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον ὑπὸ τῶν εἰσιόντων, 1060. b.), ipsa, vere ac semper existentium rerum simulacra, miro et vix explicabili modo ab ideis effinguntur : τὰ δὲ εἰσίοντα καὶ ἐξίοντα, τῶν ὄντων ἀεὶ μιμήματα, τυπωθέντα ὑπ' αὐτῶν τρόπον τινὰ δύσφραστον καὶ θαυμαστόν. *Timæ* 1060. b. Nunc demum ante oculos locum ponemus, in quo videtur Plato peculiaribus verbis quædam intelligibilia entia indicasse, scilicet ideales triangulos, utpote qui sensibilia omnia et infinitos numero triangulos, e quibus mundus constat, genuerint : τοῦ δ' ἐν τοῖς εἴδεσιν αὐτῶν ἕτερα ἐμπεφυκέναι γένη, τὴν

(1) In eo, quem laudamus, loco, Plato non modo animæ motum omnium motuum esse originem, sed etiam omnium, quæ corporibus insunt, atque illis motibus efficiuntur, qualitatum, asseverat. Ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ταῖς αὑτῆς κινήσεσιν.... (αἳ) τὰς δευτερουργοὺς αὖ παραλαμβάνουσαι κινήσεις σωμάτων, ἄγουσι πάντα εἰς αὔξησιν καὶ φθίσιν, καὶ διάκρισιν καὶ σύγκρισιν· καὶ τούτοις ἑπομένας θερμότητας, ψύξεις, βαρύτητας, κουφότητας· σκληρὸν καὶ μαλακὸν· λευκὸν καὶ μέλαν· αὐστηρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ πικρόν... 952. f. 953. a.

ἑκατέρου τῶν στοιχείων αἰτιατέον ξύστασιν, μὴ μόνον ἓν ἑκατέρον μέγεθος ἔχον τὸ τρίγωνον φυτεῦσαι κατ' ἀρχὰς, ἀλλα ἐλάττω τε καὶ μείζω, τὸν ἀριθμὸν δὲ ἔχοντα τοσοῦτον, ὅσα περ ἂν ᾖ τἀν τοῖς εἴδεσι γένη. *Timæ.* 1065. a. Saltem quum ad similitudinem idealium specierum expressa, generata fuerint elementa, iis causam intelligibilem subjectam esse concludendum. Imo, cuique secum animo reputanti quid de eorum generatione Plato explanarit, apparebit, ea esse quasi intelligibilis mundi prolem (τόκον τε καὶ ἔκγονον, 686. c.). Quod quidem cum vere posse dici Aristoteles judicaret, generandi facultate ideas pollere plane significavit: εἰ μὲν γάρ ἐστιν αἴτια τὰ εἴδη, διὰ τί οὐκ ἀεὶ γεννᾷ συνεχῶς, ἀλλὰ ποτὲ μὲν, ποτὲ δ' οὔ... *De gen. et corr.* II. 9. p. 523. Cf. *Met.* I. 6, p. 848; III. 2, p. 861.

Quando infinitum (id est magnum et parvum) mundi materiale principium esse opinatur Plato, tum omnia entia in mensuris et termino, ideis videlicet, principium τοῦ εἶναι habere, declarat: γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων. *Phil.* 380. b. Ad hæc necesse est, quæcumque, neque finibus certis, neque mensura sunt circumscripta, intereant, atque, quotiescumque, vel idea, vel ideæ signum, et quæ vocatur participatio abest, quidquid mixtum et concretum est pessumdetur, imo hujus elementa omnino evanescant. Ὅτι μέτρον καὶ τῆς ξυμμέτρου φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡτισοῦν καὶ ὁπωσοῦν ξύγκρασις πᾶσα, ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην ἑαυτήν. *Phil.* 405. a. Inde liquet omnia quæ sunt sensibilia, secundum Platonem, ad intelligibilia referri oportere (1); nec posse, nisi ideæ accesserint, aut etiam ea ipsa effecerint, oriri quæcumque

(1) Εἰ μέν ἐστιν ἃ θρυλλοῦμεν ἀεὶ, καλόν τέ τι καὶ ἀγαθὸν, καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη οὐσία, καὶ ἐπὶ ταύτην τὰ ἐκ τῶν αἰσθήσεων πάντα ἀναφέρομεν.... *Phædo*, 58. a.

fiunt atque inter entia sunt adscribenda. Ὃ μὴ μίξομεν ἀλήθειαν, οὐκ ἄν ποτὲ τοῦτο ἀληθῶς γίγνοιτο, οὐδ' ἂν γενόμενον εἴη.— Πῶς γὰρ ἄν; — Οὐδαμῶς. *Phil.* 404. d.

Ea affinitate sensibilia cum intelligibili mundo conjunguntur, ita etiam inter se cohærent, ut mox qua parte differant atque dissocientur, si Aristotelem audias, haud facile sit internoscere. Etenim, cum de idearum doctrina disputat, easdem pene naturas in utroque mundo, tum universales, tum certis locis et temporibus definitas, ait esse. Οἱ... ταύτας τὰς καθόλου λεγομένας ἐξέθεσαν· ὥστε συμβαίνει σχεδὸν τὰς αὐτὰς φύσεις εἶναι τὰς καθόλου καὶ τὰς καθέκασθον. *Met.* XIII, 12, p. 969. Idem Aristoteles, in primo metaphysicorum, sensibilia sine sensu cognosci atque comprehendi oportere asserit, quum eadem omnibus sint (juxta Platonis mentem) elementa, id est intellectualia; ideo nullum esse τῷ αἰσθητῷ locum, atque ideas tandem omnia fore : ἔτι δὲ ὧν ἐστιν αἴσθησις, ταῦτα πῶς ἄν τις μὴ ἔχων τὴν αἴσθησιν γνοίη; καίτοι ἔδει· εἴγε πάντων ταῦτα στοιχεῖά ἐστιν, ἐξ ὧν, ὥσπερ αἱ σύνθετοι φωναί εἰσιν ἐκ τῶν στοιχείων. c. 7, p. 855. (1).

Quamvis Aristoteles acrius in Platonem invehatur, atque, quæ non adeo sunt exprobranda, carpendo amplificet exageretque, attamen in illa nobili *de participatione* habita apud Platonem disputatione, nescio quid inest, quod essentiam atque veritatem ab iis entibus, quæ sensibilia dicuntur, paulatim in æternas ideas transferat. Fatetur enim Plato se prorsus nescire quo pacto quicquam fiat, participatione quadam ideæ unicuique propriæ sublata. Καὶ μέγα ἂν βοῴης ὅτι οὐκ οἶσθα ἄλλως πῶς

(1) Ἅμα δὲ δῆλον, καὶ ὅτι εἴπερ εἰσὶν αἱ ἰδέαι οἵας τινές φασιν, οὐκ ἔστι τὸ ὑποκείμενον οὐσία *Met.* VII, 6, p. 912.

ἕκαστον γιγνόμενον, ἢ μετασχὸν τῆς ἰδίας οὐσίας ἑκάστου οὗ ἂν μετάσχοι. *Phædo*, 75. d.

Attamen, quæcumque sit participationis descriptio (et illud quidem Plato haud satis explicavit (1)), certum est atque perspicuum, ex illius sententia, sensibilem mundum ab intelligibili mundo segregandum(2), et ideo in generatis, necnon tempore spatioque definitis, naturis ideas non inesse. Cujus quidem rei argumentum afferre possumus locum quem supra laudavimus (§ 1), et in quo ob id ipsum Χώρα admittitur, quod neutiquam simulacrum cum exemplari unum et idem haberi, sive sensibilia cum idea versari fas sit. Τῷ δὲ ὄντως ὄντι βοηθὸς ὁ δι' ἀκριβείας ἀληθὴς λόγος· ὡς ἕως ἄν τι, τὸ μὲν, ἄλλο ᾖ, τὸ δὲ, ἄλλο, κ. τ. λ. *Timæ* 1061. d. Unde proprie idea illud nuncupatur genus, quod, nec aliud quidquam aliunde accipiat, nec ipsum ad aliud quodvis sese adjungat. Τὸ κατὰ ταυτὰ ἔχον εἶδος, ἀγέννητον καὶ ἀνώλεθρον, οὔτε εἰς ἑαυτὸ εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν, οὔτε αὐτὸ εἰς ἄλλο ποι ἰόν. *Timæ*. 1061. b Quapropter illa regio ubi ideæ in æternum vigent, vocatur locus intellectualis, νοητοῦ γένους τε καὶ τόπου, *De Rep*. VI, 688. a. et passim; locus supercælestis, ὑπερουράνιον τόπον, *Phædr*. 1222. c; τὸν ἔξω τόπον, *ibid*. 1222. e (3).

(1) Τὴν μέντοι γε μέθεξιν ἢ τὴν μίμησιν, ἥτις ἂν εἴη τῶν εἰδῶν, ἀφεῖσαν ἐν κοινῷ [Πλάτων καὶ οἱ Πυθαγόρ.] ζητεῖν. *Met*. I, 6, p. 848.—τοῦτο δὲ ἁπλῶς καὶ ἀτέχνως, καὶ ἴσως εὐήθως, ἔχω παρ' ἐμαυτῷ, ὅτι οὐκ ἄλλό τι ποιεῖ αὐτὸ καλὸν ἢ ἐκείνου τοῦ καλοῦ εἴτε παρουσία, εἴτε κοινωνία, εἴτε ὅπη δὴ καὶ ὅπως προσγενομένη· οὐ γὰρ ἔτι τοῦτο διισχυρίζομαι. *Phædo*, 75. a. Vide *Parmen.* prima parte.

(2) Οὔτε πρὸς τὴν ἐπιστήμην οὐδὲν βοηθεῖ [ἡ ἰδέα] τὴν τῶν ἄλλων· οὐδὲ γὰρ οὐσία ἐκεῖνα τούτων· ἐν τούτοις γὰρ ἂν ἦν· οὔτε εἰς τὸ εἶναι, μὴ ἐνυπάρχοντά γε τοῖς μετέχουσιν. *Met*. I, 7, p. 853.

(3) Cf. *Theæt*. 128. d. Ὅταν δέ γέ τινα αὐτὸν, ὦ φίλε, ἑλκύσῃ ἄνω, κ. τ. λ.

Quod si mundus generatus ab æterno segregandus est, atque tamen, nisi accedant ideæ, esse sensibilia non posse constat; nonne judicandum illa vere intelligibilium esse prolem, et tunc quid esset participatio recte definiisse Platonem, quum ideas dixerit illud esse genus, ex quo elementa gignuntur, τὸ δ'ὅθεν φύεται, et quod patris in rerum generatione partes gerit, καὶ δὴ καὶ προσεικάσαι πρέπει τὸ δ' ὅθεν πατρί. 1060. b.

V

Neque nobis propositum, neque necessarium quæ de animi origine in Platonicorum schola fuerint disputata, scrutari, et quantum liceat, explanare : quæ quidem disquisitio amplior graviorque videtur esse quam ut tantummodo sit obiter instituenda. Id unice nobis est profitendum atque confirmandum, nempe animum quamdam esse mundi intelligibilis partem, atque eamdem habere naturam ac illa entia, quæ æterna esse et in se quiddam divini complecti novimus (συγγένειά τις θεία. *De leg.* X., 954. e).

Quæ de animæ generatione in Timæo disseruntur, nullo modo iis, quæ nunc asserimus, contradicunt. Quod enim ex *alterius* et *ejusdem* inter se oppositis naturis, sed in unam vi divina et media quadam essentia conjunctis conciliatisque, anima (1) concinnata fuerit, non ideo est arbitrandum illius esse ideis inferiorem naturam , atque nonnullis quasi vitiis inquinatam quæ non entibus intelligibilibus inesse est videre. Imo, si quis

(1) Τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας, κ. τ. λ. *Timæ.* 050. a.

velit qua ratione sit anima composita reputare, illam ideali essentiæ simillimam esse comperiet; etenim ex his ipsis elementis unumquodque intelligibilium entium constare, jam ex supra dictis (§ 2 et 3) manifestum. Ideam ex uno et indefinita Dyade constitui (cf. *Met.* I, 6, p. 848); in intelligibili essentia ens plurimum et non-ens multitudine infinitum (1) complecti didicimus. Quum magni et parvi Dyas, alterum, non-ens, varia sint, quibus unum et idem principium designatur, nomina; et ex altera parte, idem, unum, ens, principem et excellentem omnium causam significent, haud dubium quin ideæ et animæ sit eadem conformatio et compositio.

Nullum corporale elementum in anima inesse eo comprobatur, quod antequam corpora exstiterint, generata sit anima, (σωμάτων ἔμπροσθεν πάντων γενομένη. *De leg.* X, 949. d); atque ideo omnia, quæ propria sunt animæ, iis, quæ corporis attributa dicuntur, sint priora, τὰ ψυχῆς τῶν τοῦ σώματος ἔσοιτο πρεσβύτερα. *ibid.* 952. d. Etenim affectus, mores, voluntates, cogitationesque et veras opiniones, omnia hæc in natura rerum, corporum longitudine, latitudine, altitudine viribusque prius exstitisse, verbis peculiaribus Plato declarat. Τρόποι δὲ καὶ ἤθη καὶ βουλήσεις καὶ λογισμοὶ καὶ δόξαι ἀληθεῖς, ἐπιμέλειαί τε καὶ μνῆμαι, πρότερα μήκους σωμάτων καὶ πλάτους καὶ βάθους καὶ ῥώμης εἴη γεγονότα ἂν, εἴπερ καὶ ψυχὴ σώματος. *De leg.* X, 952. d. Quæ quum ita sint, non immerito dixeris, Platone judice, inextensam esse animam. Illa vero, quæ in Timæo offenduntur de hujus extensione (2), omnino sunt iis exquisitis,

(1) Περὶ ἕκαστον ἄρα τῶν εἰδῶν πολὺ μέν ἐστι τὸ ὄν, ἄπειρον δὲ πλήθει τὸ μὴ ὄν. *Soph.* 179. e.

(2) Ταύτην οὖν τὴν ξύστασιν πᾶσαν, διπλῆν κατὰ μῆκος σχίσας, κ. τ. λ. *Timæ.* 1050. d. Vid. Gallic. vers. p. 127, sqq.

quas Plato multis in locis de animi immortalis natura attulit, rationibus contraria, et proinde μεταφορικῶς tradi censenda. Timæus, qui animam cœlo extrinsecus circumfusam describit (1), et quidquid corporalis mundus continet, suis implicatum circulis moventem, nullo modo consentit cum iis verbis quæ in Legibus invenias de tribus modis, quibus solummodo corpora ciere possit anima. Aut enim anima intus in corpore inest, illudque transferre valet, haud secus ac nos ipsos anima nostra ducit; aut, ipsa foris quum sit, corpus igneum vel æthereum nacta, illo instrumento utitur, atque solem vel sphæram quamlibet movet; aut demum, quamvis omnino sit corpore destituta, tamen viribus miris divinisque instructa, corpus perfacili motu agitat. Ἡλίον εἴπερ ἄγει ψυχὴ, τριῶν αὐτὴν ἓν λέγοντες δρᾷν, σχεδόν οὐκ ἀποτευξόμεθα. — Τίνων; — Ὡς ἢ ἐνοῦσα ἐντὸς τῷ περιφέρει τούτῳ φαινομένῳ σώματι, πάντη διακομίζει τὸ τοιοῦτον, καθάπερ ἡμᾶς ἡ παρ' ἡμῖν ψυχὴ πάντη περιφέρει· ἤ ποθὲν ἔξωθεν σῶμα αὕτη πορισαμένη πυρὸς, ἤ τινος ἀέρος, ὡς λόγος ἐστὶ τινῶν, ὠθεῖ βίᾳ σώματι σῶμα· ἢ τρίτον, αὐτὴ ψιλὴ σώματος οὖσα, ἔχουσα δὲ δυνάμεις ἄλλας τινὰς ὑπερβαλλούσας θαύματι, ποδηγεῖ. — Ναί. — Τοῦτο μὲν ἀνάγκη, τούτων ἕν γέ τι δρῶσαν ψυχὴν πάντα διάγειν. *De leg.* X, 954. b. Quo loco modum hunc, quo in Timæo anima cœlum movet, excludi, et animam ipsam inextensam declarari manifestum est.

Ad hæc, sæpenumero Plato animam esse simplicem, neque oculis perspici posse, et acie mentis tantummodo comprehendi, id est, in ordine intelligibilium collocari, significavit.

Animam quidem esse simplicem, jam ex quibusdam Phædri

(2) ἡ δὲ... κύκλῳ αὐτὸν ἔξωθεν περικαλύψασα, κ. τ. λ. *Timæ*, 1051. a.

locis colligere licet (1), sed ex Phædone et de Rep. libris imprimis illud constat. Anima enim uniformi et indissolubili essentiæ est simillima, corpus autem multiformi dissolubilique simillimum. Τῷ καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτω... ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν... τῷ δὲ πολυειδεῖ εἴδεῖ καὶ διαλυτῷ...ὁμοιότατον αὖ εἶναι σῶμα. *Phædo*.60. d. Errat profecto qui varias atque multiplices formas vicissim induere et exuere animam existimet : μήτε τοῦτο οἰόμεθα (ὁ γὰρ λόγος οὐκ ἐάσει) μήτέ γε αὖ τῇ ἀληθεστάτῃ φύσει τοιοῦτον εἶναι ψυχήν, ὥστε πολλῆς ποικιλίας καὶ ἀνομοιότητός τε καὶ διαφορᾶς γέμειν αὐτὸ πρὸς αὑτό. *De Rep.* X, 759. b. Quid plura? cum asserit Plato, si oculis vera illius essentia cerneretur, nobis facillime agnoscendum fore utrum varia sit an simplex (εἴτε πολυειδὴς, εἴτε μονοειδὴς... *ibid.* 759 f.), tunc profecto simplicem illam esse denotat.

Ad hoc, eam invisibilem esse ubique asseverat. Τί οὖν περὶ ψυχῆς ἐλέγομεν, ὁρατὸν εἶναι, ἢ οὐχ ὁρατόν;—Οὐχ ὁρατόν.—Ἀειδὲς ἄρα. *Phædo*, 60. a. cf. *Timæ*. 1051. a, 1057. e. Deinde eam nullo modo sensibus subjectam, mente tantummodo cognosci percipique, ideoque intelligibilém essentiam, dictitat. Ἀλλὰ ἐλπὶς πολλὴ τὸ παράπαν τὸ γένος ἡμῖν τοῦτο ἀναίσθητον πάσαις ταῖς τοῦ σώματος αἰσθήσεσι περιπεφυκέναι, νοητὸν δ' εἶναι. *De leg.* X, p. 954. a.

Quid amplius in anima est requirendum, ut inter τὰ ἀεὶ ὄντα locum obtineat? Ipsi essentiæ divinæ, immortali, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem seipsam habenti simillima, *vere ens* dici jure optimo potest. Τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως

(1) Vid. præsertim 1237. f: πάσῃ ἀκριβείᾳ γράψει τε καὶ ποιήσει ψυχὴν ἰδεῖν πότερον ἓν καὶ ὅμοιον πέφυκεν ἢ κατὰ σώματος μορφὴν πολυειδές.

καὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν. *Phædo*, 60. d. Quotiescumque ad id quod purum et sempiternum est anima se confert, illi, tanquam ipsius cognata sit et affinis, adhæret tenaciter, atque suam esse regionem, quam νοητὸς οὐσία una incolat, profitetur. Ὅταν δέ γε αὐτὴ καθ' αὐτὴν σκοπῇ, ἐκεῖσε οἴχεται εἰς τὸ καθαρόν τε καὶ ἀεὶ ὄν, καὶ ἀθάνατον, καὶ ὡσαύτως ἔχον· καὶ, ὡς συγγενὴς οὖσα αὐτοῦ, αἰεὶ μετ' ἐκείνου τε γίγνεται, ὅταν περ αὐτὴ καθ'αὐτὴν γεννῆται καὶ ἐξῇ αὐτῇ. *Phædo*, 60. b. cf. 63. c. Inde animam φυτὸν οὐρανίον (*Timæ*. 1087. c.) Plato vocat. Nil igitur mirum si animus noster *idea* quædam in Theæteto nuncupatur. Ἀλλὰ μὴ εἰς μίαν τινα ἰδέαν, εἴτε ψυχὴν... πάντα ταῦτα ξυντείνει. 135. a. Ideæ etenim vim, essentiam, immortalitatem, et quidquid divini habeat, in anima inesse constat.

Non modo Plato animam et ideas eodem in loco dignitatis honorisque collocat, sed etiam videtur nonnunquam animæ præstantiam, qua inter alia quæ mente percipiuntur entia eminet, addidisse. Ait in Philebo quidquid boni pulchrive possit excogitari, in anima tantummodo contineri. Μηδὲν ἀγαθὸν εἶναι μηδὲ καλὸν, μήτε ἐν σώμασι, μήτ' ἐν πολλοῖς ἄλλοις, πλὴν ἐν ψυχῇ. 398. f. Sæpenumero affirmat mentem nulli omnino entium inesse, nisi animæ; abesse intelligentiam, unde absit anima, prædicat. Λόγον δὲ οὐδένα οὐδὲ νοῦν εἰς οὐδὲν δυνατὰ ἔχειν ἐστί· τῶν γὰρ ὄντων ᾧ νοῦν μόνῳ κτᾶσθαι προσήκει, λεκτέον ψυχήν. *Timæ*. 1057. e; cf. 1048. a; cf. *Soph*. 164. d. Ad summam, si Platonem auctorem sequimur, vitam cunctis, quæ in numero sunt vivorum, anima impertit, imo omnia in universitate rerum procreat et instituit. Ὁπόταν ψυχὴν ἔν τισιν ὁρῶμεν, μῶν ἄλλο ἢ ταυτὸν τούτῳ ζῆν ὁμολογητέον; — Οὐκ ἄλλο. *De leg*. X, 951. f. Ἆρ' οὖν τὸ μετὰ τοῦτο ὁμολογεῖν ἀναγκαῖον, τῶν τε ἀγαθῶν

αἰτίαν εἶναι ψυχήν... εἴπερ τῶν πάντων γε αὐτὴν θήσομεν αἰτίαν; — Πῶς γὰρ οὔ; *Ibid.* 952. e.

Quum autem adeo animæ præstantem naturam esse sentiat, necesse est ad id adducatur, ut animam ipsum Deum esse decernat, quod et alias aperte significat, et in Philebo Sophistaque planius asserit et demonstrare conatur. Οὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς φύσει βασιλικὴν μὲν ψυχὴν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι, διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν. *Phil.* 382. e. — ὡς ἀληθῶς κίνησιν, καὶ ζωὴν, καὶ ψυχὴν... ἦ ῥᾳδίως πειθησόμεθα τῷ παντελῶς ὄντι μὴ παρεῖναι; ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀμφότερα ἐνόντ' αὐτῷ λέγομεν, οὐ μὴν ἐν ψυχῇ γε φήσομεν αὐτὸ ἔχειν αὐτά; — Καὶ τίν' ἂν ἕτερον ἔχοι τρόπον. *Soph* 174. c. d.

Pro certo igitur habeamus, animam inter ea, quæ sunt maxime perfecta, entia esse collocandam; eam nullo modo ex sensibili mundo oriri, aut hujus mundi elementis conflari et effici; eam demum, vel ingenitam esse et profecto divinam, vel generatam, sed nihilominus cœlestem et puram essentiam, ex eisdem elementis quibus ipsæ ideæ effinguntur, effictam, ideoque ad idem principium referendam, scilicet, ut infra demonstrabimus, ad illam, qua Deus pollet, creandi facultatem.

VI

Jam, ut nobis videtur, probavimus illud principium, quod in Platonis doctrina materiæ partes obtinet, esse meram relationem (magni et parvi Dyada), quæ per se non viget, et proinde, si summo rerum principio opponitur, non-ens evadit; generationem autem (τὴν γένεσιν), vel sensibilem ad intelligi-

bilia referri, vel invisibilem, animam scilicet, intelligibilium esse affinem, et idcirco ex eodem principio, quo ideæ ipsæ, oriri. Nunc autem explicandum quomodo ille mundus intelligibilis e quodam principio omnino pendeat, in quo velut in stirpe continetur.

Illud quidem est Platonicum dogma quod necessario, ex dialectica methodo et ea, de qua multa offendimus, progressione (διαλεκτικὴν πορείαν, *De Rep.* VII. 703. f.) derivatur. Scilicet, hic primo annotandum, sese species implicare et involvere, ita ut, quæ sunt superiora genera, τὰ ἄνω, inferiora, τὰ κάτω, complectantur (1). Qui res dialectice considerat, ille acute persentit, unam ideam per multa dispersam esse, tum multas, quæ diversæ inter se sunt, extrinsecus sub uno quodam genere comprehensas, plurima deinde genera in uno superiore copulata. Οὐκοῦν ὅ γε τοῦτο δυνατὸς δρᾷν, μίαν ἰδέαν διὰ πολλῶν, ἑνὸς ἑκάστου κειμένου χωρὶς, πάντη διατεταμένην ἱκανῶς διαισθάνεται, καὶ πολλὰς ἑτέρας ἀλλήλων, ὑπὸ μιᾶς ἔξωθεν περιεχομένας, καὶ μίαν αὖ δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἑνὶ ξυνημμένην. *Soph.* 177. d. cf. *Phileb.* 373. e; δεῖν οὖν ἡμᾶς.. ἀεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν· εὑρήσειν γάρ ἐνοῦσαν· ἐὰν οὖν καταλάβωμεν, μετὰ μίαν δύο, κ. τ. λ. Quum progressus ille, et ut ita dicam, ascensus, usque ad terminum ducitur, genus summum inveniatur necesse est, quod proprie intelligibilium sit finis : καὶ ἐὰν μὴ ἀποστῇ πρὶν ἂν αὐτὸ ὅ ἐστιν ἀγαθὸν αὐτῇ νοήσει λάβῃ, τότε δὴ ἐπ' αὐτῷ γίγνεται τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει. *De Rep.* VII, 703. f. Illa est Boni ipsius idea, in ordine intelligibili suprema, quæ in loco visibili lumen et luminis auctorem genuerit, et in ipso intelligibili regnet : ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία

(1) Cf. *Met.* I, 7, p. 854.

ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ μόγις ὁρᾶσθαι · ὀφθεῖσα δὲ, συλλογιστέα εἶναι ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία, ἔν τε ὁρατῷ φῶς καὶ τὸν τούτου κύριον τεκοῦσα, ἔντε τῷ νοητῷ, αὕτη κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη. *De Rep.* VI, 694. e. Νόησον τοίνυν, δύο αὐτὼ εἶναι, καὶ βασιλεύειν τὸ μὲν, νοητοῦ γένους καὶ τόπου· τὸ δ' αὖ ὁρατοῦ. *De Rep.* V, 688. a.

Non modo inter omnes ideas Bonum eminet ac dominatur, sed etiam illæ e Bono omnino pendent, in quo supremo genere, τοῦ εἶναι principium et quasi fundamentum habent. Hoc quidem patet ex illis quæ (in sexto de *Republ.* libro.) de dialectica disquisitione cum geometrica comparata disseruntur. Ipsum enim Bonum, princeps illud est genus, non suppositum, ex quo genera alia adeo pendent, ut, illo sublato, quomodo sint ratio reddi non possit. Ὁ λόγος... τῇ τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμει τὰς ὑποθέσεις ποιούμενος, οὐκ ἀρχὰς, ἀλλὰ τῷ ὄντι ὑποθέσεις, οἷον ἐπιβάσεις τε καὶ ὁρμάς· ἵνα μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν ἰὼν, ἁψάμενος αὐτῆς, πάλιν αὖ ἐχόμενος τῶν ἐκείνης ἐχομένων, οὕτως ἐπὶ τελευτὴν καταβαίνῃ, αἰσθητῷ παντάπασιν οὐδενὶ προσχρώμενος, ἀλλ' εἴδεσιν αὐτοῖς δι' αὐτῶν εἰς αὐτὰ, καὶ τελευτᾷ εἰς εἴδη. p. 689. a (1)

Quum intelligibilia omnia ex una idea pendere jam sit constitutum, nonne fatendum illa in ejusmodi principio quodammodo contineri et ex illo evolvi? Idcirco Plato Boni ipsius ideam, principium quasi princeps nominat: ἡ διαλεκτικὴ μέθοδος... τὰς ὑποθέσεις ἀναιροῦσα ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχήν. 704. e. τὴν τοῦ παντὸς ἀρχήν. 689. a; quæ quidem verba significant ex Bono omnia, veluti e fonte quodam, manare. Unde fit ut

(1) Cf. 688 c. Τὸ δ' αὖ ἕτερον τὸ ἐπ' ἀρχὴν ἀνυπόθετον, ἐξ ὑποθέσεως ἰοῦσα, καὶ ἄνευ τῶν περί ἐκεῖνο εἰκόνων, αὐτοῖς εἴδεσι δι' αὐτῶν τὴν μέθοδον ποιουμένη. — Cf. lib. VII, p. 704. c. ἡ διαλεκτικὴ μέθοδος μόνη ταύτῃ πορεύεται, τὰς ὑποθέσεις ἀναιροῦσα ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν, ἵνα βεβαιώσηται, κ. τ. λ.

alicubi dicat ens primum, unum simul et multa idem ac infinita esse, distincta vero genera in se involvere; μέχρι περ ἂν τὸ κατ' ἀρχὰς ἓν μὴ ὅτι ἓν καὶ πολλὰ καὶ ἄπειρά ἐστι, μόνον ἴδῃ τὶς, ἀλλὰ καὶ ὁπόσα. *Phil.* 373. e.

Si quis igitur animo attenderit, sentiet ideas non esse entia quæ singula seorsim vi sua propria vigeant, sed alias aliis implicitas, et omnes in genere summo comprehensas existere. Cum autem illud genus summum, nihil aliud quam Deum esse appareat, hoc affirmare licet, nempe ideas in Deo inesse, et mundum intelligibilem esse Deum ipsum; quod quidem plane et designate Plato significat : « Anima, cujus ea est natura, ut non oculis perspici possit, cum in similem quemdam alium locum transmigrat, excellentem, purum, invisibilem, nobis occultum, revera ad bonum sapientemque Deum evolat. » Ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα, τὸ ἀειδὲς τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον, γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ, εἰς ᾅδου, ὡς ἀληθῶς, παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον θεόν. .. *Phædo,* 61. a.

VII

Quod si omnia entia quibus mundus hic generatus constat, vel ad intelligibilem mundum sunt referenda, vel in illo sedem suam propriamque habent; si vero mundus intelligibilis ex una idea pendet, et illius est ipsum Bonum principium et fons, nonne exinde manifesto sequitur Boni ideam, sive Deum, hujus rerum universitatis unum esse principium, atque jure optimo creatorem nuncupari posse? Cuique autem summa diligentia quid de illa re Plato scripserit, perpendenti, atque

multos illos locos in quibus de Dei potentia et operibus disputat, comparanti, omnino patebit, ita de origine rerum eximium philosophum sensisse.

Qui Deum Platonis immobilem esse, et nihil aliud nisi abstractam essentiam, arbitrantur, hi vehementer errant. Etenim ita sese res habere haud semel Plato negavit (1); divinæ contra essentiæ animam, vitam, motum competere asseruit. Operæ pretium est sub oculos rursus ponere eum Sophistæ locum, quem jam laudavimus (§ 5): τί δαὶ, πρὸς Διός; ὡς ἀληθῶς κίνησιν, καὶ ζωὴν, καὶ ψυχὴν, καὶ φρόνησιν, ἦ ῥαδίως πεισθησόμεθα τῷ παντελῶς ὄντι μὴ παρεῖναι, μηδὲ ζῆν αὐτὸ, μηδὲ φρονεῖν, ἀλλὰ σεμνὸν καὶ ἅγιον νοῦν οὐκ ἔχον ἀκίνητον, ἑστὼς εἶναι; — Δεινὸν μέντ'ἂν, ὦ ξένε, λόγον συγχωροῖμεν. 174. c. Qua quidem sententia eum, ut secum constet, adducit ad id, ut res quasque immobiles mente vacare dicat. Ξυμβαίνει δ'οὖν, ἀκινήτων τε ὄντων, νοῦν μηδενὶ περὶ μηδενὸς εἶναι μηδαμοῦ. *Ibid*. 174. d.

Ex eo quod essentiæ divinæ vitam et motum (2) inesse decreverit, sequitur profecto vi quadam et potentia instructum esse Deum; cujus quidem rei sæpenumero in dialogis mentio facta est: θεοὺς ἀμφότεροι φατὲ.. δύνασθαι πάντα ὁπόσων αὖ δύναμις ἐστὶν θνητοῖς τε καὶ ἀθανάτοις; — Πῶς γὰρ οὐ συγχωρήσονται καὶ ταῦτα οὕτως ἔχειν; *De Leg*. X, 956. a. — τρέπεσθε κατὰ φύσιν ὑμεῖς ἐπὶ τὴν τῶν ζώων δημιουργίαν, μιμούμενοι τὴν ἐμὴν δύναμιν περὶ τὴν ὑμῶν γένεσιν. *Timæ*. 1054. b; cf. 1049. a; *Phædo*, 74. b.

(1) Vid. *Sophist*. 174. e. Ἀνάγκη... μήτε τῶν ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λεγόντων τὸ πᾶν, ἑστηκὸς ἀποδέχεσθαι... Cf. *Phil*. 404. a : τὸ μόνον καὶ ἔρημον εἰλικρινὲς εἶναί τι γένος, οὔτε πάνυ τι δυνατὸν, οὔτ' ὠφέλιμον.

(2) Cf. De motu divino, *Polit*. 536. c. αὑτὸ δὲ ἑαυτὸ στρέφειν ἀεὶ, σχεδὸν οὐδενὶ δυνατὸν, πλὴν τῷ τῶν κινουμένων πάντων ἡγουμένῳ. — *De Leg*. X, 953, d e : Τούτοιν δὴ τοῖν κινήσεοιν τοῖν ἐν ἑνὶ φερομένοιν ἀεὶ, κ. τ. λ.

Cum multas alias res efficere possit illa divina vis, hoc etiam efficit ut id, quod antea non erat, ens evadat. Quam quidem facultatem, quum generatim sumitur, effectricem vel creatricem appellari, sane est vero consentaneum. Πᾶν ὅπερ ἂν μὴ πρότερόν τις ὄν, ὕστερον εἰς οὐσίαν ἄγοι, τὸν μὲν ἄγοντα ποιεῖ, τὸ δὲ ἀγόμενον ποιεῖσθαί που φαμέν... Ποιητικὴν τοίνυν, αὐτὰ συγκεφαλαιωσάμενοι, προσείπωμεν. *Soph.* 155. d. cf. 185. b. Effectrix vero facultas illa in duas partes distinguitur, divinam scilicet et humanam, inter quas permultum interest. Ποιητικῆς πρῶτον δύο ἔστω μέρη. — Ποίω; — Τὸ μὲν, θεῖον· τὸ δ' ἀνθρώπινον. *Ibid.* 185. b. At ne quis credat Platonem, cum, quid possit vis effectrix, describeret, mutationem tantummodo fieri ex quadam entis forma in alium statum, significasse, ea ipsa verba proponemus, quibus in Conv. declarat, hanc facultatem causam esse, qua præstante, quæque entia ex non-ente oriuntur, vel ad τὸ εἶναι procedunt: ἡ γάρ τοι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ ὂν ἰόντι ὁτῳοῦν αἰτία πᾶσα, ἐστὶ ποίησις. *Conv.* 1195. d. Quum autem jam certum sit illud, de quo Plato disseruit, non-ens, nullo modo Aristotelis materiam, sive ens in potentia, referre, et ideo vere non-entis essentiam habere (1), nonne fatendum hanc facultatem divinam, per quam ex non-ente entia gignuntur, proprie vim creatricem esse?

Et illam quidem quæ Dei est, ut res fingat fabricetque, vim, omnino ab ea, qua homines elementis quibusdam subjectis nova componere queant, facultate, Plato discernit. Quæ enim natura gigni dicuntur, arte divina effici ait; quæ autem ex his ab hominibus componuntur, humana arte fieri,

(1) Δεῖ ἄρα αὐτὸ δεσμὸν ἔχειν τοῦ μὴ εἶναι, τὸ εἶναι μὴ ὄν, εἰ μέλλει μὴ εἶναι. *Parm.* 1134. d. — Cf. § 3.

quæ ideo, ut græca verba usurpemus, magis πλάττει quam ποιεῖ. Ἀλλὰ θήσω τὰ μὲν φύσει λεγόμενα, ποιεῖσθαι θείᾳ τέχνῃ, τὰ δ' ἐκ τούτων ὑπ' ἀνθρώπων συνιστάμενα, ἀνθρωπίνῃ· καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον δύο ποιητικῆς γένη· τὸ μὲν, ἀνθρώπινον εἶναι, τὸ δὲ, θεῖον. *Soph.* 185. d.

Quod si nunc ad ea verba respexeris, quibus usus est Plato ut vim creatricem significaret, intelliges, ex iis nullo modo posse concludi, esse duntaxat quamdam συντάττουσαν causam, quæ opera sua ex aliena materia expromat: imo ea, omnino ab ista, quam nonnulli Platonis esse voluerunt, sententia haud semel abhorrere(1). Hæc enim de Deo: ποιητὴν καὶ πατέρα, δημιουργοῦ καὶ πατρὸς, ὁ γέννησας πατήρ, αἰτία τεκοῦσα.... eodem sensu,

(1) Omnia collegimus verba, quibus usus est Plato ut quid, in mundo efficiendo, ageret illa divina vis, demonstraret; ex eis, alia quidem a Deo mundi partes ordinatas fuisse, alia fuisse creatas designant. Quicumque vero illa animo recensebit, quanto in errore versentur ii, qui Platonem nusquam nisi de Deo ordinatore locutum fuisse contendunt, facillime sentiet.

1° Quæ quidem sequuntur, a Deo fuisse ordinatum mundum enuntiant: κοσμήσας. *Polit.* 538. f.; *Phil.* 382. e; passim: — συνθείς. *Timæ.* 1049. d; *Polit.* 538. d. — συντάττουσα. *Phil.* 381. d. — ὁ ξυνιστάς. *Timæ.* 1047. e, 1048. b. — ξυνδήσαντος. *Timæ.* 1049. a. — συναρμόσαντος. *Polit.* 536. a — συνεκεράσατο. *Timæ.* 1050. a. — συναποτελοῦσι. *Polit.* 529 b. — κυβερνήτης. *Polit.* 538. b.

2° Illa vero a Deo fuisse mundum creatum indicant: δημιουργός, δημιουργῶν. *Soph.* 185. b. passim. — δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων. *Timæ.* 1054 a. *Polit.* 536. a. — ποιητὴν καὶ πατέρα. *Timæ.* 1417. b. 1074. d. — ποιεῖν καὶ δρᾷν. *Soph.* 161. d. — τοῦ γεννήσαντος. *Polit.* 536. b., *Timæ.* 1049. f, 1051. a. — ὁ γέννησας πατήρ. *Timæ,* 1051. a. — Θεοῦ γεννήματα. *Soph.* 185. e. — αἰτία τεκοῦσα. *De Rep.* VI, 694. c. — τόκον τε καὶ ἔκγονον αὐτοῦ τοῦ ἀγαθοῦ. *De Rep.* VII, 686. c. — ἔφυσεν. *De Rep.* X, 750. c; *Timæ.* 1078. c. — φυτουργόν. *De Rep.* X, 750 c. — ἀπεργάσασθαι. *Ibid.* 750. b; *Soph.* 185. e. — ἐμηχανήσατο. *Timæ.* 1049. f; *De Leg.* VIII, 889. e.

quo quondam a Porphyrio atque Clemente Alexandrino accepta, nobis sunt accipienda (1).

Quod si nunc demum Dei vim effectricem omnia in intelligibili et sensibili mundo, omnia vel in generationis vel in entis regione procreasse domonstraverimus, opus susceptum sane absolvisse nobis videbimur.

Ex Deo intelligibilia entia oriuntur. Quod ex libro *De Repub.* sexto atque ex decimo manifeste constat. Ideam quippe a Deo generari, testantur illa quæ de ipsius Lecti effectione disseruntur. Lecti exemplar huc a Platone afferri, ideo quod facillime possit intelligi; revera, neque domus, nec supellectilis, nec cujuslibet rei, quæ arte effingatur, essentiam per se vigere (2) : quid ad rem ? at saltem percipimus ideas, quæcumque sint, ad Deum auctorem et generatorem referri oportere. Οὐκοῦν τριτταί τινες κλίναι αὗται γίγνονται· μία μὲν, ἡ ἐν τῇ φύσει οὖσα, ἣν φαῖμεν ἂν, ὡς ἐγῷμαι, θεὸν ἐργάσασθαι, ἢ τίνα ἄλλον; — Οὐδένα, οἶμαι. — Ὁ μὲν δὴ θεὸς... ἐποίησε μίαν μόνην αὐτὴν ἐκείνην, ὅ ἐστι κλίνη· δύο δὲ τοιαῦται, ἢ πλείους, οὔτε ἐφυτεύθησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, οὔτε μὴ φυῶσι. *De Rep.* X, 750. a. b. Non modo Deum ipsius

(1) Hanc sententiam Porphirii fuisse, narrat Proclus : Πορφύριος δέ φησιν ὅτι πατὴρ μὲν ἐστὶν, ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ γεννῶν τὸ ὅλον· ποιητὴς δὲ ὁ παρ' ἄλλου τὴν ὕλην λαμβάνων. Ὅθεν καὶ πατὴρ μὲν ἀρίστων λέγεται, ὡς ὅλου αἴτιος, ποιητὴς δὲ, οἰκοδόμος τῆς οἰκίας, ὡς οὐκ αὐτὸς τὴν ὕλην γεννῶν. *Comment. in Timæ.* p. 91.

His verbis Clemens Alexandrinus : ὅποτ' ἂν εἴπῃ (ὁ Πλάτων) τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον... τὸν μὲν οὖν ποιητόν τε ἔδειξε τὸν κόσμον, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτοῦ γεγονέναι σημαίνει, καθάπερ υἱὸν πατέρα δὲ αὐτοῦ κεκλῆσθαι, ὡς ἂν ἐκ μόνου γενομένου καὶ ἐκ μὴ ὄντος ὑποστάντος. *Strom.* lib. V, c. 4.

(2) Διὸ δὴ οὐ κακῶς ὁ Πλάτων ἔφη, ὅτι εἴδη ἐστὶν ὁπόσα φύσει... *Arist. Met.* XII, 3, p. 997. Cf. *Met.* I, 7 : καὶ πολλὰ γίγνεται ἕτερα, οἷον οἰκία καὶ δακτύλιος, ὧν οὔ φαμεν εἴδη εἶναι. p. 853.

Lecti auctorem esse Plato statuit, sed, planius etiam, Deum ex se hanc ideam gignere asseverat. Βούλει οὖν τοῦτον μὲν φυτουργὸν τούτου προσαγορεύωμεν; ἤ τι τοιοῦτον; —Δίκαιον γοῦν, ἔφη, ἐπειδή περ φύσει γε καὶ τοῦτο καὶ τἄλλα πάντα πεποίηκε. *Ibid.* 750. c. Quibus verbis quid manifestius certiusque requiri possit, ut divinam vim creatricem esse constet, haud video. Ad hæc conferre libet quæ, in sexto libro, de intelligibili loco et Boni idea traduntur a Socrate dicente: ipsum Bonum intelligibilibus non modo id tribuere, ut possint intellectu comprehendi, sed iis τὸ εἶναι insuper et essentiam largiri. Καὶ τοῖς γιγνωσκομένοις τοίνυν μὴ μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρεῖναι, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναί τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι. p. 687. f. Quæ non modo de ideis, sed etiam de animis dicuntur, si quidem alioquin (vid. § 5) animas esse intelligibiles, et in τόπῳ νοητῷ locum habere patet (1).

(1) Plato nusquam de Numerorum origine disputavit, et ea quæ in dialogis offenduntur de ente mathematico, ab ideali simul et sensibili essentia distincto, subobscura sunt et inchoata. Attamen hæc quidem de numeris statui et summatim indicari, haud absurdum esse videtur.

1. Illud ens mathematicum αὐτὸ καθ' αὐτὸ existere Plato significat in septimo *De Rep.* libro, cum de arithmeticis, geometria, aliisque mathematicorum studiis agit, genera quædam abstracta et optime ordinata sibi proponentium. Περὶ τούτων λέγουσιν ὧν διανοηθῆναι μόνον ἐγχωρεῖ, ἄλλως δ' οὐδαμῶς μεταχειρίζεσθαι δυνατόν, κ. τ. λ. 699. e.

2. Hæc genera, quæ uno nomine τὰ μεταξὺ vocat Aristoteles (*Met.* I, 6... passim), in inferiore parte mundi intelligibilis sedem propriam habent. Patet enim intelligibilem mundum in duas partes distingui, quarum una mathematicus locus, haud immerito, secundum Platonis mentem, nuncupari potest. Σκόπει δὴ αὖ καὶ τὴν τοῦ νοητοῦ τομὴν ᾗ τμητέον... Ἡ τὸ μὲν αὐτοῦ, τοῖς τότε τμηθεῖσιν, ὡς εἰκόσι, χρωμένη ψυχὴ, ζητεῖν ἀναγκάζεται ἐξ ὑποθέσεων, οὐκ ἐπ' ἀρχὴν πορευομένη... οἱ περὶ τὰς γεωμετρίας τε καὶ λογισμοὺς καὶ τὰ τοιαῦτα πραγματευόμενοι, ὑποθέμεναι τό, τε περιττὸν καὶ ἄρτιον, κ. τ. λ. *De Rep.* VI, 688.

Mundi sensibilis Deum esse auctorem atque patrem est declarandum. Jam pervulgatus est ille Sophistæ locus, ubi animalia cuncta, plantas et quæcumque inanimata terra fert vel includit, a Deo fabricata et generata fuisse dicitur. — Ζῶα δὴ πάντα θνητὰ καί φυτὰ, ὅσα τ' ἐπὶ γῆς ἐκ σπερμάτων καὶ ῥιζῶν φύεται, καὶ ὅσα ἄψυχα ἐν γῇ ξυνίσταται, σώματα τηκτὰ καὶ ἄτηκτα, μῶν ἄλλου τινὸς ἢ θεοῦ δημιουργοῦντος φήσομεν ὕστερον γίγνεσθαι, πρότερον οὐκ ὄντα; — ...ὑπολαμβάνω οἴεσθαί σε κατά γε θεὸν αὐτὰ γίγνεσθαι, ταύτῃ καὶ αὐτὸς νενόμικα. *Soph.* 285. b c. Nec ille quidem locus est refellendus, ideo quod de rebus mixtis concretisque, non de elementis ipsis hic disputatur (1). Etenim, ne quid ambigui relinquatur, paulo infra, non modo animalia et composita corpora, sed ea ex quibus gignuntur, elementa scilicet, a Deo procreata fuisse, Plato significat. Ἡμεῖς μέν που καὶ τἄλλα ζῶα, καὶ ἐξ ὧν τὰ πεφυκότ' ἐστὶ, πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ τὰ τούτων ἀδελφὰ, θεοῦ γεννήματα πάντα ἴσμεν αὐτὰ ἀπειργασμένα ἕκαστα.. *Ibid.* 185. e. Illud autem obiter est annotandum, ulla quidem clariora et planiora verba, quæ magis ad propositum nostrum pertineant, quam illa θεοῦ γεννήματα, haud facile posse inveniri, aut mente concipi.

Ad hæc, divinam vim sensibili mundo motum unam ab initio afferre animadvertendum est. In decimo *De Legib.* li-

3. Quum numerus mathematicus inter ea, quæ sunt intelligibilia, jure sit reponendus, eum, non secus ac alia intelligibilia, ad primum principium (παντὸς ἀρχὴν) referri oportet, quod omni intelligibili τὸ εἶναι et essentiam suppeditat. Καὶ τὸ εἶναι καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι. 687. f.

(1) Sic porro Moshemius: « Quis vero tam male cernit, quin his in verbis intelligat de materiæ ortu et creatione minime quæri, sed de generatione tantum et procreatione animalium et stirpium? » *et cæt. De creatione ex nihilo*, § 17.

bro demonstratur (1), motus cujuscumque principium esse sumendum ex eo quod seipsum indesinenter movet. Ἀλλ' ὅταν ἄρα αὐτὸ αὑτὸ κινῆσαν ἕτερον ἀλλοιώσῃ, τὸ δ' ἕτερον ἄλλο, καὶ οὕτω δὴ χίλια ἐπὶ μυρίοις γίγνηται τὰ κινηθέντα· μῶν ἀρχή τις αὐτῶν ἔσται τῆς κινήσεως ἁπάσης ἄλλη, πλὴν ἡ τῆς αὐτῆς αὑτὴν κινησάσης μεταβολή;—Κάλλιστα εἶπες. 915. d; cf. 952. c. Quæ quidem sententia ad pauca redacta in Phædro : οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχή, τὸ αὐτὸ κινοῦν. 1221. c. (2).

Quod autem de intelligibili atque de sensibili mundo seorsim demonstravimus, nempe illorum auctorem et vere creatorem esse Deum, hoc de omni ente, generatim sumpto, nonnunquam Plato declarat. Nos enim perspicue docet, Deum, sive ens per se ipsum, omnibus existendi initium afferre : καὶ ξύμπαντα δὴ κατὰ ταῦτα, οὕτως ὄντα ὀρθῶς ἐροῦμεν· καὶ πάλιν ὅτι μετέχει τοῦ ὄντος, εἶναι τε καὶ ὄντα. *Soph.* 179. d; Deum hominibus cæterisque animalibus vitam largiri : οὐ γάρ ἐστιν ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ὅστις ἐστὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν, ἢ ὁ ἄρχων καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων· συμβαίνει οὖν ὀρθῶς ὀνομάζεσθαι οὕτως, τῷ θεὸς εἶναι δι' ὃν ζῆν ἀεὶ πᾶσι τοῖς ζῶσιν ὑπάρχει. *Cratyl* 273. a; Deum omnium esse principium, medium et finem : ὁ μὲν δὴ θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἔχων *De leg.* IV, 831. e; cf. 949. c; —Τὴν τοῦ παντὸς ἀρχήν. *De Rep.* VI, 689. a. Atque, ut omnia in unum comprehendat, omnem omnis generis effectionem in hoc decimi

(1) Vide quæ prius dicta fuerint de motus principio, § 4.

(2) De qualitatibus corporum (quæ nihil aliud sunt, ut supra indicavimus, nisi motus quidam elementorum, affectus in animo excitantes), ad motum animæ, scilicet ad vim divinam relatis, vide decimi *de Legib.* libri locum quem jam descripsimus : ἄγει μὲν δὲ ψυχὴ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ταῖς αὑτῆς κινήσεσιν, κ. τ. λ. 952. f, 953 a.

De Rep. libri loco colligit, et ad divinam vim refert, mirum in modum descriptam et expressam : ὁ αὐτὸς γὰρ οὗτος χειροτέχνης, οὐ μόνον πάντα οἷός τε σκεύη ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα ἅπαντα ποιεῖ, καὶ ζῶα πάντα ἐργάζεται, τά τε ἄλλα καὶ ἑαυτόν. Καὶ πρὸς τούτοις, γῆν καὶ οὐρανὸν, καὶ θεοὺς, καὶ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐν ᾅδου ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἐργάζεται. 749. d. (1)

Nunc vero, quanta sit illa divina vis facillime intelligere queas. Omnia entia ab ea pendere non jam, ut nobis videtur, in controversiam venit; at de illo secundo principio, sive infinito, sive non-ente, quod cum ente, ad ideas formandas, et cum ideis ad sensibilia generanda, misceatur conspiretque, quid sentiendum? Utrumne judicandum, illud nunquam, instar Dei, nasci potuisse, nunquam esse periturum, an ipsum a Deo pendere, ita ut a supremo numine habeat unde sit, atque intelligi possit, quanquam adulterina quadam ratione (2) percipi debeat? Si Aristotelem audias, et quosdam interroges Platonis ipsius locos (3), infinitum, mali et defectus principium, per se necessario existere, nempe ut uno et summo bono contrarium, videbitur. Quod si ad Philebum respexeris, ubi Plato multo clarius planiusque quam alias disputat de isto genere, quod, ad infinitum duplici ratione vergens, magnum et parvum, vel potius ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις nominari debeat (cf. § 2), tum illud a Deo informari intelliges, et, quidquid sit, ex prima rerum omnium causa tenere. Hic enim Deum finiti et infiniti opificem et proinde effectorem esse

(1) Cf. 780. c. Ἐπειδή περ φύσει γε καὶ τοῦτο καὶ τἄλλα πάντα πεποίηκε.

(2) Λογισμῷ τινὶ νόθῳ. 1061. c.

(3) Exempli causa, hunc Theæteti locum afferamus : Ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ αἰεὶ εἶναι ἀνάγκη· οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι... 129. a.

haud ambigue declaratur. Οὐκοῦν τὰ μὲν γιγνόμενα, καὶ ἐξ ὧν γίγνεται, πάντα τὰ τρία παρέχετο ἡμῖν γένη. — Καὶ μάλα. — Τὸ δὲ δὴ πάντα ταῦτα δημιουργοῦν, λέγω μὲν τέταρτον τὴν αἰτίαν, ὡς ἱκανῶς ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον. *Phil.* 380. d. Duo ista genera ex quibus omnia gignuntur, esse πέρας et ἄπειρον ex iis quæ supra Plato disseruit, manifestum est. Cum illo quidem loco libet comparare quæ infra de Boni essentia traduntur, quum ipsum Bonum Socrates ait eorum quæ in mixtione sunt esse causam. Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι σὺν τρισὶ λαβόντες, κάλλει καὶ συμμετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, λέγωμεν ὡς τοῦτο οἷον ἓν ὀρθότατ' ἂν αἰτιασαίμεθ' ἂν τῶν ἐν τῇ ξυμμίξει. *Ibid.* 405. b.

Quomodo igitur materia Deo opponi et illius vim effectricem irritam reddere queat, non jam video. Etenim si Deo opponitur et æterna reputatur, jam nihil est, utpote quæ entis non sit particeps. Si autem τὸ εἶναι aliquo modo illi competit, a Deo pendet, divinaque vi effingitur.

At quocumque modo sese res habeat, Deus omnium, quæ sunt, auctor parensque esse jure dicitur, jure orbis universi creator salutatur.

Nunc quidquid in hac disceptatione approbare conati sumus, ad pauca redigendum et expressis verbis recolligendum est.

1. Illud, de quo agitur in Timæo, receptaculum, nihil aliud est, nisi spatium inane, quod quidem nihil generat, quodque nullo modo principium et fons entium esse potest. Nihil cæterum in Timæo est, quod nobis creationem a Pla-

tone recipi affirmantibus graves moras objicere queat, aut nos ullo inextricabili nodo impediat.

2. Illud, quod in Platonica doctrina materialis principii partes implet, nihil aliud quam Dyas est; Dyas autem, quæ duplici infinito constat, relatio tantummodo habenda est, neque vi propria ac peculari existit.

3. Illud in Dyade positum infinitum accipiendum est pro non-ente; ex non-ente autem atque ente, omnia conflantur et efficiuntur. Hoc non ens Platonicum omnino discrepat ab illo non-ente in potentia, quod sibi proprium vindicat Aristoteles.

4. Totus hic, qui sensibus percipitur mundus, si in elementa dissolvatur, ad motus et figuras redit, qui ad mundum intelligibilem referendi sunt et inde omnem originem ducunt.

5. Animus intelligibilis mundi pars est a principio: illo continetur et implicatur, adeo ut ex eadem admodum, qua mundus ipse ille, causa prodeat.

6. Quæ proprie dicuntur ideæ e superiori quadam idea, unde evolvuntur et qua nituntur, omnes pendent. Illa autem idea princeps, videlicet ipsum bonum, mundi intelligibilis fons sanctissimus est, præstantissimumque principium.

7. Deus, vivens agensque Deus, quod prius non erat, hoc ut sit efficere valet; hæc illius virtus ipsaque natura est. Ille utriusque mundi, et qui concipitur, et qui percipitur, auctor et creator est: ille omnibus rebus vitam motumque affert; ille infinito quamdam entis partem, si qua in infinito sit, communicat.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, ipsis kal. Jul. anni M DCCC XLI,
Facultatis Litterarum in Academia parisiensi decanus,
J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur
ROUSSELLE
Studiorum inspector, procurandis Academiæ parisiensis rebus præpositus.

Has theses tueri et dilucidare conabitur H. N. Alf. Lorquet, in Facultate litterarum jam licentiatus.

